KALTENBORN UND STACHAU

De cambiis statua Hamburgens

1862

De cambiis

Statuta Hamburgensia Anni [illegible] et [illegible]

Carolus de [illegible]

[illegible]

De cambiis

Statuta Hamburgensia Ann. 1603 et 1605,

in Germania

prima legislationis cambialis vestigia,

edidit brevemque eorum de natura atque origine deque juris cambialis libris et legibus ante annum 1605 editis dissertationem praemisit

ad orationem pro loco in ordine jureconsultorum Regimontanorum rite obtinendo die XVII. mensis Januarii A. c. hora XII. in auditorio maximo publice habendam

invitans

Carolus de Kaltenborn,

uris utriusque doctor et professor publicus ordinarius des.

Regimonti Borussorum.

Prostant apud Graefe & Unzer.

1862.

Typis Schultzianis.

Theodoro Muther,

J. U. D.

Amico Collegae.

§. 1. Introductio.

Quo tempore, ordinatione cambiali d. d. 26. Nov. ann. 1848 eximia artis legislatoriae specie promulgata, totam per Germaniam, Austriam atque Borussiam uniformes et commerciorum usui aptissimae juris cambialis notiones in vigore sunt et praxis et theoria et legislatio de cambiis ad fastigium quoddam pervecta est, jam usui commodum atque consentaneum necnon litterarum studio indiguum esse videtur, ad tempora praeterita respicere, prima cambialis legislationis vestigia per Germaniam persequi et praeteritis cum praesentibus tamquam naturali vinclo conjunctis edocere, quanti momenti sint ista vestigia, quanti momenti sit istud fastigium.

Quibus potissimum caussis commotus sum, ut de Hamburgensi jure cambiali, quod anno 1603 vel ut rectius dicam anno 1605 in statutis hujus civitatis proditum est et quod profecto legislationis Germanicae de cambiis initia continet, huncce libellum conscripserim.

Notum est, cambia Romanis ignota fuisse et medii demum aevi tempore neque ex arte et consilio, sed magis rerum necessitate atque penuria esse inventa. Et recte quidem jam Raphael de Turri, Genuensis, inclytus de cambiis autor, [1]) cum enim commerciorum, inquit, bellorum ac peregrinationum frequentia saepius exigeret, ut quis necessario egeret pecunia in loco dissito ab illo, ubi eam habebat, cujus transportatio propter inimicorum latronumve intercedentium rapacitatem erat suspecta vel propter maris inconstantiam infida vel per legem vetita, hinc ad bonum praedictae transportationis consequendum adinventa est commutatio pecuniae absentis cum praesenti. Attamen his in verbis illustris Genuensis aliam neque viliorem causam cambiorum condendorum neglexisse videtur, quam alio loco ipse

---

[1]) Tractatus de cambiis, disp. I. qu. 3. n. 2. Editio princeps hujus operis anno 1641 Genuae apparuit.

recognoscit. Etenim nummorum eorumque ponderis et valoris in diversis terris diversitas, quae cum medio aevo permultae partimque maxime parvae respublicae in Europa existerent, permagna erat, non minus causam condendis cambiis dedit, quandoquidem ab initio in permutatione varii generis nummorum eorumque, compsorum regulari auxilio, ab loco altero ad alterum solutione principalem et essentialem cambiorum naturam constitisse notum est. Unde nomen cambii ortum est; unde prioribus temporibus cambiale negotium fere unanimiter atque etiam nunc a singulis (v. g. a Bienero) pro commutatione vel emptione venditione pecuniae absentis pro praesente habitum est. Quae fuit regnans de cambiis opinio usque ad saeclum XVII., et fuit recta quidem opinio secundum primitivam naturam ac speciem cambiorum istis quidem temporibus; falsa vero postquam cambiorum essentia, indossamento potissimum invento, plane variata fuerat; attamen inclyti de cambiis autores totius saecli XVII. et Italici et Germanici istam doctrinam sequuntur, novam cambiorem naturam non recte discernentes. Ita Raphael de Turri, et omnes Itali, ita priores Germanici scriptores de jure cambiali Bode, Vogt, Heydiger. [2])

Sane vero deinceps mutata est cambiorum natura. Cambia a campsorum vinclis sunt liberata et transiere in liberum omnium mercatorum usum. Neque valuta, quae ab initio significat summam pro cambio tradendo emptori datam, in pecunia solum, sed etiam in mercibus vel in aliis rebus vel etiam in credito deinceps constare potuit neque essentiale cambii requisitum permansit, etiamsi ut valutae mentio certa fieret, usque ad nostra tempora, sed tamen injuste ab multis legislatoribus postulatum sit. Neque diversi generis nummorum permutatio essentialis in cambiando res retenta est, sed cambia generalem quandam inter mercatores a loco altero ad alterum solvendae pecuniae naturam ac facultatem receperunt novaque solutionis instrumenta effecta, inter certas quae in cambio quodam notatae sunt personas ipsius pecuniae similitudinem jam habuerunt secundum analogiam nummorum fictorum, quae pro auro et

[2]) Matthias Bode, disputatio de cambiis. Marburg 1646; denuo editus est hic liber tamquam appendix operis quod sequitur Heydigeri. — Joh. Mart. Vogt, tractatus analyticus de cambiis Giss. 1658. Editio altera correctior cum additionibus quibusdam ab Ahasvero Fritsch. Francofurti anno 1670. — Eines gewissen Autoris Anleitung zu gründlichem Verstand des Wechselrechts etc. etc. Allen Gelehrten sowohl als auch Kauf- und Handelsleuten zu gutem Unterricht und Nutzen mit Bewilligung des Autoris an den Tag gegeben von Joh. Jacob Heydigern. Frankfurt a. M. 1676.

argento ex papyro nostris temporibus publica autoritate conficiuntur. Quare formae et formulae cambiales, quae prioribus aetatibus vix aut numquam regulares fuere, accuratius dispositae et jamjam strictissimis finibus inclusae sunt. Litterae atque scripturae necessariae et essentiales fiunt cambiorum partes, et regula oritur: quidquid in cambii ipsius tabula litteris mandatum non est, cambialem speciem omnino non habere. Simulque indossamenti vehicula ad accelerandum cambialis commercii cursum inveniuntur, neque cessionis formae et carceres ab altero ad alterum cambialis juris translationem restringunt, neque in rem alienam vel suam procuratorum auxilio opus est, sed per solam ipsam in cambialis tabulae dorso scripturam, ergo simplicissima et mere cambiali forma omne jus creditoris originarii cambialis ad alterum qui scribitur transmittitur. Immo novum cambiale jus fortius et quodammodo absolutum indossatario comparatur, quoniam etiam indossans prior creditor juri cambiali in totum subjicitur reusque fit, et novus creditor non quatenus a priore jus suum deduxit, cambiorum jura recipit, sed quia nomen per indossamentum in dorso cambii scriptum est, ista ipsa sola forma per semet ipsum pleno et optimo jure cambiali praeditus est. Denique indossamentorum quae moderno nomine in blanco i. e. in albo dicuntur ope cambia novam virtutem sibi pararunt.

Quam propter eximiam recentiorum cambiorum ad commercia flexibilitatem et versabilitatem factum est, ut singularem cambialis juris naturam singulari modo definire studerent. Et licet Italorum de emtione et venditione cambiales doctrinae usque ad nostram aetatem florerent, Francogalli et maxime Pothier, Savary et Dupuis de la Serra[3]) cambii negotium esse „cession ou transport d'argent seu cession de la créance" dixerunt, quibus quidem verbis nihil omnino stricti ad veram juris cambialis notionem constituendam prolatum esse videtur. Alii et quidem Germani Italorum vestigia libera quadam arte sequentes contractum innominatum in forma do ut facias cambium esse affirmarunt, uti Franck, Püttmann, de Weisseneck, de Boset,

---

[3]) Jacques Savary, le parfait négociant. édit. I. Genève 1672; recentissima editio Paris 1800. — Dupuis de la Serra, l'art des lettres de change. Paris 1693. novae edit. 1707, 1789; Lyon 1762; Bas. 1782; latina translat. Colon. 1712. Savary et Dupuis magnae autoritatis non solum per Galliam, sed etiam per Hollandiam fuerunt. — R. J. Pothier, traité du contrat de change. Paris. 1763; nouvelle édition par Hutteau. Paris 1809. Post Savary et Dupuis inclyti Pothieri de cambiis judicia cum in Gallia, tum in Hollandia et Anglia in vigore fuere.

alii.[4]) — Neque defuere qui propter recentiorum cambiorum generale quoddam inter mercatores pretium eorumque celerrimum cursum commercialem cambium pro ipsa pecunia fictitia ex papyro confecta haberent. Inter quos post Leyserum, Bueschium, Treitschkium praecipue Einertium[5]) et qui huncce variis variatis sequnti sunt, Brauerum, Kochium, Kheilium etc. nominare licet. Quae quidem de cambiis opinio falsa mihi videtur, quoniam quominus cambia pecuniae ipsius speciem recipiant, impedimentum est primum quod a principio et quidem ex titulo juris privati, non publica autoritate, constituunt certum juris vinclum inter certas personas, id quod quidem a pecuniae natura plane abhorret, immo obligationem constituit; et deinde quod cambii pretium non certo valore et uti dicunt cursu tenetur, sed fluctuarium quendam valorem secundum qualitatem certarum in cambio scriptarum personarum, secundum commerciorum vicissitudines atque conjuncturas necnon secundum locorum in quibus cambium et ortum et solvendum est, commercialem opportunitatem et quasi autoritatem habet. Immo est quidem cambium juris vinclum inter certas quae in tabula cambii scriptae sunt personas, est juris privati atque contractus formalis, quacum sententia recentissimi de cambiis scriptores fere omnes consentiunt, uti Thoel, Bluntchli, Renaud, Gerber, Gengler, Walter, Unger, Schlesinger, Oscar Waechter, Fick, E. Hoffmann, alii, licet nostro tempore alii exstiterint, qui uti post Liebii et Beseleri magis incertas definitiones Kuntze et Jolly, cambium non pro contractu, sed pro unilaterali actu formali habeant.

Et haec quidem sufficiant quae de cambiorum notione atque natura praemittenda fuerint. Convertamus nos ad historiam instituti cambialis.

Cum vero antiquior et antiquissima cambiorum species ab Italis et deinceps a Romanis provincialibus qui in meridionali Gallia habitant, inventa, exculta atque ad alias gentes translata esset, recentior cambialis instituti vigor, quem indossamentis inventis non ante saeclum XVII. inceptum esse diximus, per Francogallos potissimum

---

[4]) Franck, inst. jur camb. Halis 1721, et saepius. — Püttmann, Grundsätze des Wechselrechts. Leipzig, 1784; edit. III. per Martens. 1805. — Weissegger von Weisseneck, Theorie eines allgemeinen Wechselrechts. Freiburg 1818, 19. 2 Bde., — de Boset, der Wechselcontract. Prag 1812.

[5]) Leyser, diss. de cambiis trassatis. Erfurt. 1719. — Buesch, Darstellung der Handlung (edit. pr. 1791. Hamburg.). — Treitschke, Handbuch des Wechselrechts. Leipzig 1824. — Einert, das Wechselrecht. Leipzig. 1839.

incitatus est, et cum priore aetate fere solo mercatorum usu et praxi cambiale commercium effloruisset, postea et quidem maxime post annum 1600 per litterarum et artis legislatoriae subsidia cambiorum institutum promotum atque excultum est. Italorum vero eximia quae sint de cambiis opera intra saeclum XVII. sc. Raphaëlis de Turri, Scacciae novam cambiorum naturam quam Galli posissimum primi praxi et litteris excoluerint non sane intelligunt. Recentissimam vero cambialium institutionum per epocham Germanos potissimum excelluisse nemo est qui negaverit. Germani enim cum jam saeclo XVII. cambiorum usum litterarum studio et legislatoriae artis ope excolere incepissent, saeclo XVIII. per Germaniam permulti et plurimi de cambiis libri conscripti et fere innumerabiles leges et ordinationes quae ad cambiorum usum spectant, promulgatae sunt. Et nostro quidem tempore per Germanos cambiorum instituta non solum efflorescente summo litterarum studio doctrinae luminibus summis illustrata, sed legislatoriae artis adjumentis ad quoddam cacumen perfectum elevata sunt.

Attamen non est in animo, hoc loco Germanorum singula de re cambiali merita enarrare laudibusque omnibus extollere. Immo a principio incipiendum nobis est. Redeamus ad illa tempora, quibus in Germania cambiorum usus et studium primum crescere coeperit, et arctioribus hujus dissertationis finibus inclusis, horum temporum spatium certum et strictum retineamus.[6]) Saecli XVII. prima initia sequi et quae isto tempore Hamburgensium legislatorum de cambiorum institutis merita fuerint perspicere licet eo lubentius, quo in istis Hamburgensibus de cambiis legibus primis prima omnino cambialis in Germania legislationis vestigia obveniunt. Nam quamquam cambiorum usus, qui apud Italos et Romanos provinciales jam intra saecla XII. et XIII. inchoavit, multo serius ad Germanos translatus neque ut videtur ante saecli XVI. initium inter mercatores Germaniae magis regularis factus est, nihilominus jam intra saecli XVII. spatia et legibus et litteris cambiorum instituta valde in Germania exculta sunt.

---

[6]) Quare quae de cambiorum in Germania origine atque usu intra saecla XV. et XVI. — etenim prius cambialia ibi vestigia indagare frustra studebis — detecta sunt, hic praetermittam alioque loco publicabo. Vide Bienerum, Wechselrechtliche Abhandlungen (1859) pag. 200 squ. — Fischer, Geschichte des deutschen Handels (4 Bde. 1785 squ.). Falke, Geschichte des deutschen Handels (2 Bde. 1859 squ.) et Arenz, Ursprung des Wechsels (1855) plura praebent. Vide qui infra in nota 32 cambialis historiae scriptores denominantur, etiam not. 17.

Id quod mirari licet. Saecli enim XVII. initio, quo recentior ista instituti cambialis de quâ diximus aetas atque epocha efflorescere incepit, omnino in Germania cambiorum usus fuit et fere recentior nec multum divulgatus, neque exstitit doctrinae cambialis singulare studium. E contrario Germani quoad cambiorum praxin magis se passivos et accipientes gerebant iisque sufficere videbatur, ut quae a peregrinis inventa atque exculta essent, reciperent. Neque singulares de cambiis scriptores per Germaniam isto tempore obveniunt, sed quae ab Italis doctrinae promulgatae erant, adoptantur. Neque respublica Germanica tunc temporis ita exculta fuit, ut legibus ferendis curam praecipuam et principalem impenderet. Legislatio istius temporis, si ad jus privatum omnino pertinebat, tota magis in describendo et emendando jure consuetudinario et statutario constabat neque ex principiis certis derivatas et ad salutem civium directas sanctiones novas constituebat, magis receptivam et passivam, non creatricem se gerens. Itaque non a Caesare atque imperio, non a statibus terrae majoribus et potentioribus uti electoribus, ducibus, principibus, sed a sola quidem urbe primum de legibus cambialibus condendis in Germania periclitatum est. Quaeritur, quomodo fieri potuerit, ut ipsa ista Hamburgensium civitas prima cambialis legislationis viam ingressa sit.

§. 2. Cur Hamburgenses primas de cambiis leges per Germaniam tulerint?

Media jam aetate Hamburgi commercium maxime floruisse constat.[7]) Jam locus ipse commercio oportunissime est situs. Sed aliae et multae caussae accesserunt, quibus Hamburgensia commercia promoverentur. Sane quidem peregrinorum mercatorum ad Hamburgum migrationes, quae pluribus temporibus atque jam vetustioribus eveniebant, multum fecere, ut Hamburgi commercia celerius crescerent,

---

7) Inter libros qui de Hamburgensium commerciis scripti sunt, nominare sufficiat hosce: Sartorius, Geschichte des Hanseatischen Bundes. — J. P. Willebrand, Hanseatische Chronik — Schmidt, Hanseatisches Magazin. — J. J. Moser, reichsstädtisches Handbuch. — Ejusdem reichsstädtisches Magazin. — Jäger, Magazin für die deutschen Reichsstädte. — Neue Chronik von Hamburg (usque ad annum 1819), ed. F. G. Zimmermann (1820). — Bärman, Chronik von Hamburg (edit II. Hamb. 1827). — v. Hess, Beschreibung von Hamburg. — Büsch, Versuch einer Geschichte der Hamburg. Handlung, qui libellas etiam in ejusdem autoris majoribus libris de commerciis invenitur. — Conferatur Pöhls, Handelsrecht tom. I. p. 28 Nota.

cum quidem peregrinorum pecunia non minus quam artibus atque virtutibus valde adaucta essent. Quod jam factum est tempore quo Usedom et Wollin, insulae commerciis olim excellentissimae, atque Arcona, Rugiensis insulae non minus commerciali laude insignis civitas, et Bardevicum, urbs pari modo mercatura inclyta, partim detrusae partim depressae essent. Ingente vero modo Hamburgi commercia per ligamina, quae istam urbem cum Lubecensibus et deinceps cum toto foedere Hanseatico, cujus capitalis atque regens urbs Lubecensis fuit, conjungebant, sustentata atque promota sunt. Praeter multifaria quae Hamburgensi mercaturae ipso ex foedere Hanseatico commoda conveniebant, magna Hamburgensium commercio emolumenta per separatos tractatus confluxerunt, quos omnibus temporibus magna arte et certo consilio magistratus Hamburgenses aut singuli, aut cum Lubecensibus aut simul cum hisce et Bremensibus aut cum Slavicis civitatibus confoederationi Hanseaticae conjunctis foederati, peregrinis cum civitatibus et imperiis inierant.

Neque minus privilegiorum copia omnis generis Hamburgi commercium sublevatum est. Jam Fridericus Barbarossa, Germaniae insignis imperator, urbem eximiis privilegiis ornavit atque Hamburgenses eorumque naves et merces omnibus quae in Albia solvenda erant ab vectigalibus liberavit. Anno 1258 urbs jura intra territoria recens acquisita quae dicuntur Weichbilderecht i. e. jus oppidaneum[8]), 1264 columnam Rolandicam jurisdictionis propriae signum acquisivit[9]) quamquam de immediata imperii libertate diutius ab Hamburgensibus cum comitibus Holsatiae et regibus Daniae certatum est. Intra saeclum XII. et XIII. Hamburgenses jura singularia sibi constituerunt, partim ab Lubecensibus et Susatensibus, postea ex speculo saxonico deprempta, partim ab ipsis confecta.[10])

---

[8]) cf. Zöpfl, deutsche Rechtsalterthümer tom. III. p. 121.

[9]) De anno quo columna Rolandica ab Hamburgensibus constituta sit, nihil certi exstat. Oldenburger (Pandectae juris publici sive Limnaeus enucleatus, Gen. 1670. F.) lib. IV. c. 25. p. 86. annum 1375. affert. cf. Zoepfl, deutsche Rechtsalterthümer. tom. III. p. 191 squ.

[10]) Adolphus III. Comes Holsatiae anno 1188, Hamburgensibus „liberas areas secundum justitiam Lubecensium“ concessit atque jussit ut: „in delinquentibus haec erit justitia, ut ubicunque quispiam peccaverit, ibi Lubecensi jure emendet.“ Item Albrechtus comes anno 1212. constituit, „ut secundum justitiam Lubecensium in omnibus se habeant“ et in posteriore documento dixit: „in reliquis jure fruentur Susatensium et Lubecensium. cf. Schuback, historia stat. Hamb. (1749). Lappenberg, Hamburger Rechtsalterthümnr. tom I. p. XXXIX. squ. Ceterum vetustissimum quod jam nunc exstat Hamburgensium jus est de anno 1270 et sub nomine „Ordelbock“ vulgo circumfertur. Vide infra §. 4.

Porro stapulae privilegia olim permagna fuere et anno 1482 a Friderico III. imperatore confirmata sunt. Eximiae vero immunitates quoad commercium Hamburgensibus ab comitibus Holsatiae qui usque ad XVII. saeclum urbis domini territoriales se esse contendebant, concessa sunt. [11])

Deinde Hamburgum ipsum ex immunitatibus quae Hanseaticis per Lotharingiam et Brabantiam annis 1256 et 1257, per Brunsvigam et Luneburgam 1258, per Angliam privilegiis Henrici III. 1266 concessae erant, eo majora sibi commoda vindicare potuit, quo opportunior urbis Hamburgensis situs ad commercia cum istis terris facienda erat. Anno vero 1560 per Daniam ab vectigalibus immunitas redemta est.

Denuo autem recentioribus peregrinorum mercatorum et opificum emigrationibus, qui in finem saecli XVI. eveniebant, Hamburgensium commerciorum flores valde auctae sunt. Primum Anglicani multi Hamburgum se contulerunt, qui Elisabetha regina imperante propter religionem 1566 anno patriam fugiebant et vulgo nomine anglico „adventurers“ appellantur. Unde ab initio multis molestiis et calamitatibus cum Hansae tum Hamburgo allatis, omnes sane Hanseaticorum per Angliam libertates ne tollerentur in periculo fuere. Attamen et arte et fortuna istis periculis remotis, adventuriorum illorum auxilio Hamburgenses opes plane multiplicatae sunt. Eodem fere tempore mercatores Belgici, qui non minus propter religionem e patria dejecti erant, Antwerpiae potissimum commerciis in finem saecli XVI. obsidionibus compluribus devastatis, Hamburgum emigrarunt neque minus pecuniis et opibus quam mercaturae commerciorumque peritia Hamburgensibus perutiles facti sunt. Anno vero 1605 isti Belgici fugitivi in civium qui dicitur contractum primum recepti sunt. Neque minora commoda ex Judaeis fugitivis Portugallis urbi Hamburgensi confluxerunt, qui ista ipsa aetate Lusitania (Portugallia) propter religionem relicta Hamburgi novum domicilium condiderunt, sane

[11]) Jam anno 1470 ab Friderico III. imperatore Hamburgum ad comitia imperii convocatum, ab Maximiliano I imperatore 1511 pro civitate imperii immediata et libera declaratum est. Item Hamburgum in matricula Wormatensi anni 1521 nominatum est, ita ut 20 equites et 120 pedestres milites imperio tribueret. Attamen contra Hamburgensem imperii immedietatem et libertatem Holsatia et Dania usque ad recentiora tempora nisae sunt, et quamquam judicium imperii camerale pro ista libertate sententiam tulerat anno 1618, rixa ista anno demum 1768 die 27. Maji post innumerabiles ambages et detrectationes prorsus composita Hamburgique imperii immedietas non jam in dubio erat. cf. J. J. Moser, Tr. von den deutschen Reichständen lib. II. cap. 5. §. 35. Scheidemantel, Repertorium des deutschen Staats- und Lehnrechts. tom. II. p. 382. sq.

ut dicitur ea facta conditione, ut judaeicis erroribus abjuratis christianae fidei se dederent.

Praecipue vero ex diuturnis atque arctissimis conjunctionibus commercialibus, quae jam vetustiore tempore Hanseaticae confoederationi cum Belgia, Flandria et Brabantia fuerunt, uti ceteris Hanseaticis, ita propter loci opportunitatem inprimis Hamburgensibus multae utilitates exortae sunt. Unde varia commerciorum instituta, inprimis cambia, unde juris commercialis peritiam magnam in partem Hanseatici atque inprimis Hamburgenses deprompsisse videntur.

Post Italiae scilicet magnas res publicas maxime Belgicae civitates media aetate navigatione et mercatura omnibusque commercialibus artibus, speciatim cambiorum cum antiquiorum tum recentiorum usu, necnon juris commercialis tractatione atque scientia excelluerunt. De qua re non est caussa ut miremur. Ingentis enim orientalis commercii viae tunc temporis per Italiam atque meridionalem Germaniam ad maris atlantici portus Belgarum traductae sunt. Hic fuere emporia mercatorum Genuensium et Venetiensium, Luccanensium et Florentinorum. Hic campsores Italici subsellia exstruxerunt et nummorum solutiones borealis et meridionalis inter Europae terras perfecerunt. Hic post Oleronenses sanctiones prima juris maritimi moderni vestigia inveniuntur, quae partim in traductione belgica Oleronensium juris maritimi articulorum constant, partim originalem quandam speciem prae se ferunt.[12])

Quod vero ad cambiorum in Belgicis regionibus usum pertinet, Ipris (Ypern) Lombardiae mercatores jam circa annum 1285 Flandriae comitum privilegiis [13]) cambiandi jus obtinebant, quae tamen privilegia tantummodo usque ad annum 1290 concessa erant. Etenim eodem anno 1285 cives ipsi Iprarum cambium cambiandique jus a comite acceperunt, ita ut „jus et autoritatem cambiandi, cambium exercendi et campsores ibidem instituendi potestatem haberent"; cujus privilegii exercendi initium ad annum 1290 prorogatum est, quo Lombardorum immunitates cessarent.[14]) Item comes Guido civibus Ardenburgensibus pretio librarum

---

[12]) De hac re vide Pardessum in opere quod inscribitur: collection de lois maritimes (Paris. 6 tom. 1836 squ.) tom. I. cap. 8 squ. et C. de Kaltenborn (Grundsätze des europ. Seerechts. 2 tom. Berol. 1857) tom. I. §§. 11—14. — Vide infra notam 18.

[13]) Brugae ingens tunc temporis commercium et opulentiam descripsit Warnkoenig, flandrische Rechtsgeschichte II. 1. p. 121. et append. nr. LXXI. et LXXII. (p. 146 squ.)

[14]) Warnkoenig, ibidem in appendice p. 179. (nr. XCV.)

mille dato jus cambiandi (le cange), quo usque ad istud tempus dominus Rogier de Harcheberghe excelluerat, anno 1299 vendidit.

Ergo campsorum activitas jam saeclo XIII. per Belgiam non parva fuisse videtur atque verisimile est, jam posteriore saeclo, quo per italicas et gallicas regiones sensim recentiorum cambiorum usus efflorescebat, vel certe saeclo XV. in terris belgicis cambialia recentioris generis negotia multa exercita fuisse. At vero fontium propter penuriam usque ad hunc diem de his nihil certi constat, licet jam anno 1310 ibi assecurandi et cambiandi negotia peracta esse vulgo tradantur. Historiae autem documentis tantummodo constat, saeclo XVI. his in regionibus cambiorum recentiorum usum adeo divulgatum fuisse, ut magistratibus necessarium esse videretur, ut leges promulgarentur, quibus cambiorum commercia melius constituerentur et variae controversiae deciderentur. Huc referri debent Caroli V. imperatoris de cambiis et similibus negotiis constitutiones, quae annis 1537, 1539 et 1541 Belgis, inprimis Antwerpiensibus promulgatae sunt. (Vide §. 3 notam 43.) Huc vero praecipue pertinet illa juris cambialis collectio, quae Antwerpiae confecta, inscripta est: Rechten en costumen van Antwerpen van Wisselen i. e. de cambiis jura et consuetudines Antwerpianae: quae quidem anno 1578 in lucem prodiere.[15])

Ceterum jam isto tempore cum Germania ejusque imperio quae prius profecto fuerant et postea prorsus exstincta sunt, Belgarum vincla adeo dissoluta fuerunt, ut has cambiales leges Antwerpienses pro Germanicis neque habere neque in iis prima de cambiis legislationis Germanicae vestigia cognoscere debeas.

Jam vero Hanseatici Belgicis in regionibus colonias antiquo tempore constituerunt, et quaecunque coloniae atque emporia Hansae intra peregrinas terras fuerunt, inter haec illud emporium quod Flandrinorum Brugae[16]) florebat,

---

[15]) G. F. de Martens (Ursprung des Wechselrechts) Caroli quinti constitutiones quae supra notatae sunt, in appendice p. 94—105 offert et narrat, consuetudines istas Antwerpienses anno 1578 jam renovatas et anno 1597 prelo publicatas esse; ceterum vide infra §. 3 notam 49.

[16]) Ceterum speciale foedus commerciale. quod Hansae teutonicae simile erat, in Hansa flandrina inter urbes Brugam, Ipras, Dammam et Gandam jam saeclo XIII. existebat et inde ab anno 1426 sensim in oblivionem veniebat. Quae Flandrina Hansa seu Londonensis, quia in Anglia et potissimum Londini negotia gerebat, in nundinis Campaniae (Champagnemessen) multum versabatur indeque sine dubio antiquo jam tempore cambiorum et veterum et recentiorum usum recognitum in commerciis

fortasse splendidissimum fuisse videtur tum propter ingentem negotiorum multitudinem, tum propter pecuniarum quae inde ad pretia diversis Europae in terris facilius solvenda ibi factae sunt plurimas emptiones et venditiones. Cum vero Bruga Italicis mercatoribus campsoribusque maxime conjuncta et notissima esset, verisimile est ex tempore, quo cambiorum usus in vigorem venerit, hic pecuniarum solutiones cambiorum auxilio perfectas esse indeque cambialia negotia etiam Hanseaticos inter mercatores, qui ibi commorati sunt, in usum venisse. Id quod eo magis credendum est, quo Hanseatici et in specie Hamburgenses aliis scilicet Romanis cum civitatibus, ubi cambiorum jura istis temporibus, multo prius quam in Germania, crescere incipiebant, sc. Italiae et meridionalis Galliae in commercio non fuerunt. At vero fontium qui usque ad hoc tempus aperti sunt penuria etiam hic obstat, ne certi quid contendere liceat. Notum tantummodo est, anno 1315 ducem Brabantiae Hanseaticis mercatoribus qui Antwerpiae habitabant concessisse: „quod possunt cambire et cambia facere cum quibuscunque et solutiones facere ac recipere unus cum aliis, cum litteris vel sine litteris, prout sibi visum fuerit expedire:“ quae quidem verba variis modis interpretari licet.[19])

Quantopere vero antiquioribus jam temporibus ad imitandas Belgarum institutiones commerciales ac potissimum ad juris instituta adoptanda Hanseatici fuerint propensi atque prompti, inde luce clarius apparet, quod juris maritimi sanctiones quae a Belgis intra saeclum XIII. ut videtur factae fuerant, fere verbo tenus in liguam saxonicam, quae fuit omnibus in terris tunc temporis inter Hansae sodales lingua vulgaris atque commercialis, translatae sub nomine juris maritimi Visbicensis (Waterrecht tho Wisby) Hanseaticorum communem in usum sola consuetudine et observantia transierunt.[20])

---

suis adhibebat. Warnkoenig, flandrische Rechtsgesch. I. p. 328 squ. et in append. 81.

[19]) Privilegium istud Hanseaticorum invenies apud Marquardium, de jure mercatorum (1662) p. 289 squ. cf. etiam Holtium (Abhandlungen civilistischen und handelsrechtlichen Inhalts, ex Hollandiae lingua germanice translatae a Dr. Sutro. Utr. 1852) p. 176 et 213, qui modernorum de cambiorum usu in hoc privilegio non esse sermonem dicit: id quod G. F. de Martens (Ursprung des Wechselrechts p. 63 etin app. p. 94.) contenderat neque Biener (Wechselrechtliche Abhandlungen p. 57, 58) prorsus negabat.

[20]) Est quidem illud jus maritimum Visbicense, quod usque ad Pardessianas disputationes pro mero juris maritimi antiqui Gallici et Belgici fonte ipsi et Belgae multi habuerant, nihil aliud quam compilatio ex articulis juris Flandrici et Hollandici paucis Lubecensibus constitutionibus de

Unde plus quam veri simile esse debet, Hanseaticos etiam cambiorum usum et praxin, qualem in Belgia magis vigentem atque florentem viderint, tamquam optimum commercialium negotiationum adjumentum in patriam transtulisse, eo magis quo etiam in meridionali Germania, praesertim in urbibus Boceni, Norimbergae et Francofurti, conjunctionibus potissimum commercialibus cum Italia, cum Gallia meridionali et ipsa eadem cum Belgia, cambialia negotia divulgari inciperent: id quod in finem saecli XV. et certius intra saeclum XVI. peractum esse dicendum est.[17]) Ergo quamquam fontium testimonia desunt, tamen dubitandum non est, quin intra saeclum XVI. Hamburgi cambiorum negotia quodam jam in usu fuerint. Quam quidem cambiorum cognitionem atque praxin recte quidem Meno Poehls[18]) a Belgicis mercatoribus necnon ut puto ab Judaeis Portugallis, qui saecli XVI. in finem Hamburgum confugisse ibique domicilium obtinuisse supra dicti sunt, inter Hamburgenses multo adauctam esse contendit. Praecipue vero Belgicus cambiorum usus istis ab emigratoribus Hamburgum translatus esse videtur, quandoquidem ipsa in Belgia jam legibus definitus et quodammodo perfectus ista ipsa aetate fuit. Quae cum ita sint, non plus quam tribus decenniis post istam Belgarum emigrationem cambialia negotia Hamburgi adeo crevere, ut Hamburgensibus magistratibus opus esse videretur, ut de re cambiali leges ferrent. Quam vero arctum vinclum inter cambialia Belgarum et Hamburgensium negotia et jura magistratibus Hamburgensibus existere visum sit, ex eo facile est intelligere, quod istae de cambiis Hambur-

---

navigatione praemissis neque non postpositis. Itaque ejus partes sunt: 1) 1—12 articuli juris Lubecensis, 2) 13—36 articuli sunt juris Flandrici seu Selandici, qui vulgo sub nomine Waterregten ten Damme seu ten Westcapelle circumferuntur et qui primam originem in gallica compilatione intitulata; rooles ou jugemens d'Oléron habent, 3) articuli 37—70 sunt juris Hollandici, qui vulgo dicuntur Waterrechten van Amsterdam seu Enchuysen seu Stavern, 4) articuli 71 et 72 iterum sunt juris Lubecensis sanctiones. Vide Pardessum (collection de lois maritimes. Paris 1836 squ. 6 tom.) tom. I. p. 399 squ. et C. de Kaltenborn, Grundsätze des Europ. Seerechts tom. I. §§. 11—14.

[17]) Vide jam supra notam sextam. Ceterum quae usque ad nostra tempora de negotii jurisque cambialis per Germaniam usu scripta sunt, perpauca sunt neque omnino sufficiunt, ut certum de cambiorum Germanicis in terris initiis judicium capias. Etiam quae Bienerus (Wechselrechtliche Abhandlungen p. 290 squ.) narrat, nihil aliud demonstrant, quam quod de hac re historiae documenta omnino non recte aperta sunt.

[18]) Meno Pöhls, Handelsrecht, pars I. p. 33. pars II. p. 23, 24. Buesch, Geschichte des Hamburg. Handels p. 28.

genses leges magna ex parte verbo tenus ex ipsis Belgicis juris cambialis fontibus, nominatim ex constitutione de cambiis Antwerpiensi, de qua supra jam dictum est, desumptae sunt.

Quae quidem leges Hamburgi cambiales partem conficiunt majoris operis legislatorii, in quo totum jus Hamburgi et materiale et formale contentum est et quod sub titulo: „Der Stadt Hamburg Statuta und Gerichts-Ordnung“ annis 1603 et 1605 promulgatum, vulgo, sed non prorsus recte sub anno 1603 citari solet. Cujus operis partis nempe II. titulus septimus cambiorum juri totus dedicatus est et primas omnino quae in Germania nostra de cambiis leges sunt promulgatae, in se continet.

Sane negari non potest, initio saecli XVII. alias Germaniae urbes magis quam Hamburgum commerciis excelluisse. Dico potissimum Francofurtum ad Moenam, dico Norimbergam. Neque non est verisimile, istis urbibus isto jam tempore permagnum cambiorum usum exstitisse, fortasse majorem quam qui Hamburgi tunc existeret.[21]) Sed ibi non illa cum Belgicis arcta conjunctio, quae Hamburgensibus contingebat, intercedebat neque alii peregrini erant, a quibus cambialia jura melius acciperent, neque propria juris cambialis cognitio tanto in vigore fuisse videtur, ut sine peregrinorum auxilio et impulsu ipsas de cambiis leges ferrent. Itaque facile confitendum est, non tam magnitudini et opulentiae Hamburgensis commercii et quidem cambialis, quam Belgicae isti potissimum conjunctioni tribuendum esse, quod Hamburgenses primas per Germaniam de cambiis leges sanxerunt. Quae cum ita sint, ceterae de cambiis Germanicae leges omnes post Hamburgensem sanctionem publicatae sunt, Norimbergense scilicet et Lipsiense nundinale rescriptum anno 1621, eodem anno Norimbergensis de cambiis ordinatio, 1635 nundinalis ordinatio Boceni, 1648 ejusdem urbis nundinale privilegium, 1654 nova Norimbergensis de bancis et cambiis ordinatio, 1660 Lipsiense nundinale rescriptum, 1662 cambialis ordinatio Lubecensis, 1663 nova Boceni ordinatio de nundinis et cambiis, 1665 ordinatio cambialis Augustae Vindelicorum, 1620, 1635 et 1666 de cambiis constitutiones Francofurtenses etc.

---

[21]) Medio certe quidem XVII. saeclo istud Francofurtum sine ulla dubitatione principalis Germaniae totius locus cambialis fuit. Testes affero solos Johannem Martinum Vogtium ejusque novum editorem, qui isto tempore de cambiis scripserint, neque dubitari potest, quin jam initio illius saecli Francofurti negotiationes cambiales plures et majores fuerint quam Hamburgi. Vide Vogtium de cambiis (edit. Fritschid. 1670) p. 37.

§. 3. Fundamenta historica ad Hamburgensium opus cambiale recte dijudicandum.

Neve de paucis istius legislationis Hamburgensis articulis inique dijudices, haecce mihi non praetermittenda videntur esse.

Hujus enim legislationis tempore per Germaniam nihil omnino de cambiis scriptum vel legibus mandatum fuit neque plus, quam singulae singulorum casuum cambialium decisiones exstiterunt, adeo ut Hamburgenses hac quidem in materia novam prorsus viam sternere et tamquam ab ovo incipere deberent. Peregrini soli aliquid ad succedendum et imitandum praebuerunt neque eorum doctrinae et sanctiones particularibus Germanorum et quidem Hamburgensium conditionibus plane aptae atque idoneae fuerunt, ita ut etiam in imitando non pauca varianda et nova adjicienda et permulta submovenda essent.

Praeterea quaecunque peregrini ad facilitandum opus Hamburgensibus praebuerunt, si secundum nostrae aetatis doctrinam atque artem metiri velis, minoris omnino pretii habenda sunt. Recentior enim cambialis institutionis efflorescentis epocha illa vix inchoata fuit, quoniam v. g. indossamenta vix aut non jam inventa erant, neque ipsi peregrini, inter quos isto jam tempore cambiorum usus maxime divulgatus fuit, Itali et Galli, potestatem sibi comparaverant, ut novum cambialis commercii cursum doctrina recte intelligerent et legislatoria arte novo cursui aptiores juris normas promerent. Quod quam verum sit, neminem fugiet, qui cognoverit, qui usque ad annum 1600 de cambiis libri conscripti et quae ad cambiorum usum ordinandum leges sancitae fuerint.

Brevem igitur istorum documentorum catalogum lectori benevalo proponemus.

Per priora quidem juris cambialis crescentis saecla de cambiis normae solo mercatorum usu et praxi consuetudinis vi exortae sunt, siquidem jureconsulti juri civili atque canonico totos se dediderunt planeque jus novum cambiale ignorarunt, ita ut theologi ista aetate fere plus quam jureconsulti cambiorum vias sequuti sint. Neque judiciis communibus et regularibus de caussis cambiorum dijudicandum fuit, quandoquidem de commerciis cambiisque mercatorum ex numero composita judicia plerumque decernebant.

Quanta vero rerum cambialium etiam intra saeclum XIV. et XV.[22]) inscitia quantaque ruditate ipsi celeberrimi

[22]) Vide Bienerum (Wechselrechtl. Abhandlungen 1859) p. 79 squ. Holtinm (Abhandlungen, transtulit Sutro, 1852) p. 169 squ.

Jureconsulti pressi fuerint, exemplo inclyti Baldi de Ubaldis, qui mortuus est anno 1400, demonstrari potest, qui deductionibus de cambiorum natura in consiliis suis prolatis sane manifestarit, se veram cambiorum notionem omnino ignorare.[23]) Neque meliora sunt quae Angelus, frater Baldi († 1407), quae Rolandinus Passagerii († 1300), quae Johannes Calderinus (pater † 1365), quae Ludovicus Romanus seu Pontanus († 1489) et Paulus de Castro, qui vulgo Castrensis denominatus anno 1441 obiit,[24]) singulis de cambiis in consiliis proposuerint.

Quae vero de cambiis per ista saecla ab Canonistis, Summistis et theologis scripta sunt, multo minus valent. Sufficiet Azorii catalogum describere. Joh. Azorius enim in institutionum moralium opere tom. III. p. 685. (ed. Lugd. 1622.) breviter et ut catalogo nostro camparato concedes negligenter eos enumerat qui usque ad ipsius aetatem de cambiis scripserint. Mortuus vero est Azorius anno 1603 Romae. „De cambiis, inquit, pauca quaedam tradidere **Canonici** juris interpretes in capite ult. de usuris, et civilis juris **Consulti**, ut Paulus (sc. de Castro), Angelus, Salicetus († 1412) in Codice, titulo de usuris; **Summistae** in verb. usura vel cambium: Angelus (idem ut supra) usura I. n. 51. Rosella eodem verbo. 6. Sylvester eod. 4. Tabiensis usura. 5. Armilla verb. campsor. **Theologi** in 4. distinct. 15. Gabriel qu. 10. art. 5. dub. 12. Major qu. 36 et 37. Sanctus Bernardinus pars II. serm. 39. art. s. c. 1. 2. §. 3. Sanctus Antoninus par. 2. tit. 1. c. 7. §. 47 et squ. Conradus de contractibus q. 98 et 99. Cajetanus in opusculis tom. 2. tract. 7. Sotus lib. de justitia 6. a quaestione octava usque ad 13. Medina de rebus per usuram acquisitis qu. 5 et sq. Navarrus in Manuali c. 17 num. 284. Auctor Coronae Confessorum par. 2. cap. 8. tit. de Cambiis. Johannes Baptista Lupus in tract. de usuris comment. 3. §. 2. Thomas Boninsignius in tract. de cambiis. Franciscus Garsia de contract. §. 2. c. 6. et squ. Thomas Mercatus tract. de contract. c. de cambiis. Cosmus Philiarchus de

---

[23]) Longum est, hanc Baldi inscitiam hoc loco enucleare. Vide quae Bienerus et Holtius l. c. scripserint. cf. etiam Biener, Abhandlungen aus dem Gebiete der Rechtsgeschichte, 1846. I. 94.

[24]) Aut filius ejus Caspar Calderinus († 1399). Nam res plane non constat. Consilium de quo quaeritur Calderini invenitur apud Raphaelem de Turri l. c. disp. II. qu. 24 sub allegatione „cons. 11. de usuris" atque certum est, Calderinum patrem commentarios de usuris scripsisse. Vide Bienerum l. c. b. 80. de Savigny, Geschichte des Röm. Rechts, edit. II. tom. VI. p. 109 et 289. cf. Biener, Wechselrechtl. Abhandlungen p. 81.

officio sacerdotis lib. 5. cap. 22 et squ. Fabianns Genuensis in tract. de cambiis, et Hieronymus de Luca de cambiis.

Profecto Rotae Genuae decisionum, in quibus multae caussae cambiales inveniuntur, ante publicationem cambia ad artem juris a jureconsultis non sunt tractata, quae quidem consilia genuensia propter eorum formam atque argumentum saecli demum XVI. initio orta et a privato quodam judice collecta esse videntur.[25]) Rotae vero Romanae decisiones multo minus ad mercaturam et cambia pertinent, sed quae inter antiquiora Rotae Romanae consilia cambiorum jura constituunt, sunt collecta et commentariis instructa ab Raphaele de Turri l. c. [26])

Etiam Andreae Alciati,[27]) qui Ticini 1550 anno periit, cambiales doctrinae, quae in ejus Responsis inveniuntur, levioris momenti sunt, neque omnino usque ad saeclum XVII. scriptores verám cambiorum naturam rectius intelligunt, sed Romano juri plus quam justum est propensi Romano cambia jure perverse pertractare student. Nominare sufficiet qui singulares istis temporibus et ante saeclum XVII. de cambiis libellos conscripserint quique usque ad hunc diem a nemine omnes conjunctim nominati sunt.
Cotrugli, qui circa 1460 scripsisse dicitur: „della mercatura“, qui liber Venet, 1573 prelo editus est. Joh. Consobrinus, natus Lisboae, celeberrimus praedicator fuit et confecit tractatum de justitia commutativa, arte campsorum ac alearum ludo; quem quidem libellum Parisiis anno 1483 primum in lucem venisse dicunt, quod ego in dubio esse censeo; Joecher annum 1496 scripsit.

Ser Pacino, de costumi, cambi, monete, pesi e misure, delle lettere di cambio et de termini etc. in diverse terre.

---

[25]) Editio princeps Genuae anno incerto. Deinde editae sunt istae decisiones a Bellonio Venet. 1552. Aliae editiones inveniuntur Lugduni (Lyon) 1592 et Francofurti 1612. neque minus decisiones praemissae sunt (p. 1—340) editionibus operis quod scripsit Straccha de mercatura et cambiis Colon. 1622 et Amselodami 1669. — cf. Bienerum, Abhandlungen anni 1846. I. 97; ejusdem, Wechselrechtl. Abhandlungen 1859. p. 82, 83.

[26]) De Rota Romana in universum inspicies Richterum (Kirchenrecht; edit. V. 1858 §. 158 Nota 2) et Walterum (Kirchenrecht ed. 11. §. 133.). Rotae hujus decisiones saeclo jam XV. collectae sunt. Vide Raphaelem de Turri tract. de camb. edit. Francof. 1645 p. 341—402.

[27]) Aliciati, responsa Basil. 1605. lib. V. cons. 97 (in edit Lugdun. cons. 337). Biener Wechselrechtl. Abhandlungen 1859. p. 82.

Quod opusculum jam circa annum 1450 autore Uzzano (della decima tom. II. p. 79) confectum esse dicitur.[28])

Thomas de Vio natus Ticini, vixisse videtur Brixiae, cujus libellus vulgo antiquissimus de cambiis scriptorum habitus est; scripsit anno 1499 de cambiis, quod quidem opusculum in Tractatu Tractatuum (Lugduni 1549. tom. V. et Venet. 1581 tom. VI. p. 407) publicatum est.

Guil. Bontius (Dr. juris Lovaniens, alias Calvanus), de usuris, cambiis etc. Parisiis' 1550. Joecher narrat, eum obiisse anno 1454 (1554?) et praeterea de contractibus mercatorum scripsisse.

Aloysius Casanoca, de cambiis. Venet. 1558.

Hier. de Luca, de cambiorum marcharumque differentia qui liber receptus est in Tract. Tract. (Lugd. 1549. tom. V.) et postea apparuit Venetiis 1584. Alter est Joh. Bapt. de Luca, Cardinalis, qui obiit 1683 et de cambiis scripsit in opere inscripto: theatrum veritatis et justitiae, quod in 15 tom. Colon. 1706 editum est.

Fabianus Genuensis, tractatus de cambiis. Genuae 1569. Qui praenomine: Caspar, alias F..... dicitur et professor juris Patavii 1582 obiit. Alter Fabianus Genuensis praenomine: Dominicus librum de cambiis scripsisse traditur (Bonon. 1626 et Gen. 1668), qui etiam invenitur in Tract. Tract. edit. Venet. Fortasse Caspar et F... et Dominicus idem est.

Thomas Boninsignius, Florentinus, professor theologiae, teste Azorio scripsit de cambiis tractatum, teste Lipenio Florent. 1587 de negotiationibus, teste Zedlero lingua italica et de cambiis et de venditione ad tempus.

Franciscus Garzias, qui mortuus est anno 1587. Tarragonae Hispan. libros edidit de contractibus et de stipulationibus mercatorum.

Martinus Azpilcueta (cognomine Navarrus), qui Canonista Hispanicus anno 1586 mortuus est, de cambiis scripsit: qui libellus in ejus operibus (Venet. 1602 et 1645) continetur.

Joh. Bapt. Cavatius s. Cavaccias scripsit, uti Beseke (thesaur. jur. cambial. Berol. 1783 pag. 1292) refert, tractatum de cambiis per litteras Mediolanen. Sed nescio quo anno vixerit et scripserit, sed ut putaverim ante annum 1600.

Idem dicendum est de Hieronymo Jovamino ejus-

---

[28]) G. F. de Martens, historische Entwickelung des Wechselrechts (1797) §. 20, p. 77. Bender, Wechselrecht (Darmstadt 1828) p. 113 Nota.

que opere de cambiis, quod Bonon. apparuit. Vide eundem Beseke l. c. p. 1293.

Bernhardus Giustinani seu Justinianus, patricius Genuensis, natus anno 1574, clericus regularis, Patavii mortuus anno 1623 tractatum inscriptum: continuatio de cambiis italice Venetiis scripsisse dicitur, nescio quo anno, qui liber ab Antonio St. Salvatore ex societate Barnabitorum damnatus, ab Hortensio Capellonio defensus est. cf. Jöcher.

Denique Benevenutus Straccha, patricius Anconitanus, cujus opus inter omnia quae nominavi notissimum, pauca de cambiis tantum tradit et inscribitur: Tractatus de mercatura seu de mercatore in editione Amstelodamensi 1669, qua quidem usus sum. Editio princeps Lugduni. 1556. Alia editio Colon. 1576 et 1622.

Addo quamquam post 1605. annum scripserunt, Seraphium Ractium (de cambio Perus. 1604) et Didac. Canteram (de commerciis et cambio. Colon. Agr. 1620).

Ex iis vero qui majoribus in operibus obiter tantummodo de cambiis istis temporibus scripserint, nominare licet celeberrimos et saecli XVII. initio notissimos, quos Joh. Beyer, civis et bibliopola Francofurtensis, editor secundae Raphaelis de Turri operis editionis (Francof. 1645) in dedicatione istius operis praecipuos juris cambialis autores allegat. Est quidem Leonhardus Lessius in opere inclyto quod inscriptum est: De justitia et jure (editio princeps Parisiis 1605), Belga, ex societate Jesu, qui quidem mortuus est 1622.[28a])

Porro Bernh. Bruschus (italice Brusco), Veronensis, librum qui incribitur: Enchiridion de contractibus (Venetiis 1620. Veronae incerto anno) edidit. Scripsit sane uti ille Beyer bibliopola affirmat, post Lessium neque minus quam Lessius ad certam methodum cambialia jura redigere voluit. Sed editio princeps, fortasse illa Veronensis incerti anni, mihi nota non est neque de Bruschi vita quidquam certi afferre possum.

Michael Barth. Salonus (alii Salonius) Hispanus, qui librum: de justitia scripsit et 1620 supremum diem obiit.

Postremo Johannes Azorius (Azor), Romanus, ex societate Jesu, qui in libro jam supra p. 15 citato (tom. III. p. 685—713) multa et satis bene de cambiis disserit. At licet Azor jam anno 1603 Romae mortuus sit, tertius hic tomus libri anno demum 1611 Romae primum prelo excus-

[28a]) cf. C. de Kaltenborn, Vorläufer des Hugo Grotius. (Leipzig 1848 p. 151 squ.) de Lessii vita et scriptis.

sus est (tom. I. ibid. 1600, II. 1606). Nova editio totius operis Lugduni 1625 (tom. III. 1622) apparuit, quam inspexi solam.

At vero antequam Sigismundus Scaccia, Romanus ille jureconsultus, philosophus et ut ita dicam humanista, tractatum de commerciis et cambio, circiter anno 1614. qui liber sanctissimae virgini Mariae matri Dei dedicatus est, scripserat[29]) et Raphael de Turri, inclytus Genuensis, tractatum de cambiis, qui circa annum 1640 confectus est,[30]) in publicum prodiderat, in jureconsultorum scriptis non multum invenies quod memoria perdignum et inprimis ad leges de cambiis ferendas auxilium quoddam magnum atque augmentum suppeditare potuerit. Hamburgensia vero statuta jam anno 1603 (melius 1605) promulgata sunt, ergo istorum Italorum eximia scripta in usum adhibendi legislatoribus potestas non fuit.[31])

Neque minus quae ante annum 1603 de cambiis promulgatae fuerant, leges imperfectae et ad imitandum difficiles dicendae sunt. Maximam enim in partem singulos tantum casus illustrant, singulas controversias, quae in fori praxi obvenerint, decidunt et posteriore demum tempore totum cambiale negotium certo modo dirigere atque juris et artis ad formam constituere volunt. Brevem catalogum exponemus.[32])

---

[29]) Editiones Scacciani operis notae sunt Colon. 1619; Francofurt. 1648, Venet. 1650; Genev. 1664; Colon. 1738. Quas editiones non omnes vidi; Joh. Em. Kuntze (Deutsches Wechselrecht. 1862 qui liber vero per aestatem anni 1861 in lucem prodiit) p. 22. ad editionem anni 1648 locum Romae, anni 1738 locum Francofurti ponit. cf. etiam Bender, Wechselrecht p. 114. Ceterum Scaccia etiam aliis operibus excelluit, ex quibus nominare licet: de judiciis caussarum civilium, criminalium et haereticalium (2 tom.); de sententia et re judicata; de appellationibus.

[30]) Raphaelis de Turri operis editiones notae sunt: Genu. 1641, Francofurt. 1645 et 1648. Falso Lipenius, Beseke, alii editionem 1545 confabulantur. Ceterum Raphael noster scripsit etiam opusculum quod inscribitur: „Dissidentis, desciscentis receptaeque Neapolis libr. VI."

[31]) Scacciae et Turris tempore neque minus post jus Hamburgense prodiere: de Salas, de cambiorum dubiis, Lugd. 1617. — Cantera, de commercio et cambio. Col. Agripp. 1620, quorum amborum libelli a posterioribus praeter Scacciam et Turrim non raro in usum adhibiti sunt Germanorum vero primi de cambiis singulares scriptores non ante medium saeclum XVII. exstiterunt, nempe Bode, Vogt, Heydiger, de quibus vide supra notam 2.

[32]) cf. Kletke, Encyclopädie des gesammten Europ. Wechselrechts. Leipzig 1861. tom I. p. 63 squ. 101 squ. Dedekind, Abriss einer Geschichte von den Quellen des Wechselrechts 1843 et idem, Vergangenheit und Gegenwart des deutschen Wechselrechts. 1848. G. F. de Martens, Versuch einer historischen Entwicklung des Wechselrechts. 1797. Etiam

Jam statuta Senarum anni 1292 allegari possunt, sed ad cambia perpauca continent. Sunt vero ista statuta annis 1292, 1358, 1392, 1472, 1572 et 1611 revisioni subjecta et adaucta, quae ultima revisio anno 1616 perfecta et anno 1619 publicata in distinzione seconda cap. XCIV. leges cambiales offert.[33])

Statuta Veronae anni 1319 de campsoribus et pecuniae permutatione disserunt, non jam de recentioribus cambiis.[34])

Venetiarum contra cambia et contractus usurarios constitutiones (die 11. Sept. 1328 et 19. Mart. 1357) cambiale ad nostrum negotium non pertinere videntur, sed leges cambiales anni 1594 (23. April.) et 1596 (12. Feb.) demonstrant, antiquitus Venetiis cambialia jura floruisse.[35])

Placentiae civitatis statuta et decreta, quae jam anno 1391 renovata sunt, in lib. VI. n. 126 rubr. „de campsoribus", de processu cambiali nonnulla praebent.[36])

Barcelonensis magistratus 18. die Mart. ann. 1394. imperavit, ut cuicunque cambium ad acceptandum praesentatum esset, intra 24 horarum spatium se accipere vel non declararet et diem horamque praesentationis in tabulae cambialis dorso denotaret.[37])

Leges Hispaniae ab ann. 1436, 1480, 1549, 1552, 1608 de cambiis singula constituerunt; v. g. 1436 de pecuniae permutatione et campsoribus, 1480 in fugitivos campsores, 1552 et 1608 ne usurae in cambiis obveniant, 1608 ut cambia sicca vetita sint.[38])

Bononiae civitatis in statutis anni 1454 septemdecim paragraphi cambiorum jus tractant.[39]) Majoris vero

---

Carl Arenz: Ueber Ursprung und Entwickelung des Wechsels (Leipzig 1855). Grottenauer, Verzeichniss der europ. Wechselgesetze in Carol. Alb. de Kamptz, Jahrbücher der preussischen Gesetzgebung. tom. VII. p. 263 squ.

[33]) de Martens l. c. append. p. 10. Zimmerl. (Vollständige Sammlung der Wechselgesetze. 3 Bände. Wien 1809—1815) tom. III. p. 106.

[34]) Statuta civilia domus mercatorum Veron. 1319. Edit. 1598 pag. 32. 85. de Martens p. 24.

[35]) de Martens p. 19 squ. Siegel, corpus jur. cambial. I, 438. Bohn (wohlerfahrener Kaufmann, 5. Aufl. von Ebeling und Brodhagen. 2 Thle. Hamburg 1789) tom. II. p. 278. Zimmerl. III. 127.

[36]) Martens l. c. p. 18. — Edit. horum statutorum est Mediolan. 1560.

[37]) Martens l. c. p. 107. Zimmerl. c. I. p. 179.

[38]) Martens p. 108—127.

[39]) Editio horum statut. Venetiis 1566 et postea per comitem de Saccu. Venet. 1735. cf. de Martens p. 55.

momenti est Bononiae ordinatio cambialis ab anno 1569 (25. die Nov.), quae a Papa Pio V. confirmata est.[40])

Galliae rex Ludovicus IX. ann. 1462 die 4. Mart. de cambiis quaedam continentem constitutionem (art. 7 et 8) promulgavit.[41]) Anno 1468. Lugduni (Lyon) nundinale privilegium confectum est.

Pontifices Romani istis temporibus de singulis cambiorum conditionibus decreta promulgarunt eo consilio, ne sub cambiali nomine usurarum pravitas impune exerceri posset, uti Paulus IV. 1560, Paulus V. 1570, idem qui ut supra dictum est Bononiae statuta comprobaverat 1569; Gregorius XIII. 1574 et Urban VIII. 1627 et 1631. de cambiis siccis et ricambiis nonnulla constituerunt.[42])

Caroli V. imperatoris quaedam de cambiis constitutiones, in usum potissimum Antverpiae sunt sancitae ann. 1537 (7. Mart.), 1537 (25. Maj.), 1539 (7. April) et 1541 (16. Nov.), quae ultima anno 1667 a magistratu Antverpiae republicata ad solutionem cambiorum spectat.[43])

Porro Bergami urbis legem cambialem refero in statutis et privilegiis anni 1457 et ordinationem cambialem anni 1591; quae 1621 renovata et confirmata est.[44])

Besonti urbis (Besançon) leges nundinariae et cambiales sunt nominandae, quae ab anno 1598 usque ad 1637 complures in lucem venerunt.[45])

Constitutiones Dominii Mediolanensis de anno 1541 libri V, quae ab imperatore Carolo V. confirmatae sunt,[46]) pauca de cambiis praebent (in libro V.).

Huc pertinent etiam normae cambiales quae in (cap. 14 et 15 lib. IV. et c. 4. lib. II.): „Statutorum civilium reipublicae Genuensis nuper reformatorum libris VI.“ continentur, ab anno 1589.[47])

Item Neapolitanae Pragmaticae de cambiorum acceptatione, solutione et protestatione de annis 1562 — 1648.[48])

---

40) Siegel I. p. 499. Zimmerl I. 282.

41) Biener, wechselrechtliche Abhandlungen 1859. p. 115. 277. Schäffner, Geschichte der Rechtsverfassung von Frankreics. tom. III. pag. 285.

42) Biener l. c. p. 100 et 276.

43) Martens l. c. p. 97 — 105. Siegel corp. jur. p. 413.

44) Martens p. 27. Zimmerl I. p. 232.

45) Siegel I. 510. Bohn (wohlerfahrener Kaufmann. 5. edit. 1789) II. p. 253.

46) Edit. XI. per Gabrielem Verronem (Mediol. 1747). Vide Martens l. c. p. 16.

47) Martens l. c. Appendix p. 40 squ.

48) Pragmaticae, Edicta, Decreta regiaeque sanctiones Regni Neapolitani (Neap. 1682). Martens p. 63 — 93. Zimmerl l. c. II. sect. 2. p. 62.

Leges cambiales civitatis Antverpiensis anni 1578, de quibus jam supra dictum est et infra accuratius disserendum est, cum Hamburgensium constitutionum anni 1603 (1605) principalem fontem praestiterint.[49])

Denique hic non sunt omittendae Amstelodami urbis de cambiis egregiae sanctiones, quamquam maximam partem in tempora post Hamburgensem de cambiis primam legislationem incidunt. Quarum longa series incipit ab anno 1601 et usque ad saecli XVIII. finem deducta est (1645, 1651, 1660, 1662, 1663, 1664, 1670, 1674, 1678, 1679, 1683, 1719, 1744, 1764).[50])

Ceterae omnes de cambiis leges, constitutiones et ordinationes post annum 1603 et 1605 promulgatae sunt neque Hamburgensibus legislatoribus commodo esse potuerunt.

§. 4. Generalia quaedam de statutis Hamburgensibus quae annis 1603 et 1605 facta sunt.

Hamburgensium jura scripta vetustiora sunt, quorum jam saeclo XII. vestigia fuisse videntur. Attamen quae adhuc exstant manuscripta non supra saeclum XIII. redeunt, quandoquidem antiquissimum quod invenitur manuscriptum jurium collationis quae dicitur Ordelsbock, anno 1270 perfectum est. Cujus constitutiones partim juri Lubecensi partim juri speculi saxonici congruunt et nova paucis articulis inclusa emendatio anno 1292 instituta esse videtur. Tum vero duorum saeclorum demum spatio elapso nova et quidem essentialis juris Hamburgensis revisio peracta est, quae in codice urbico (Stadtbuch) anni 1497 invenitur, quamquam interim diversis singuli temporibus recessus h. s. pactiones de jure publico et privato senatum inter et cives conclusae, neque minus sanctiones quae dicuntur Bur-

---

[49]) Vide jam notam 15. cf. Herbach, europ. Wechselhandlung (3. edit. Nürnberg 1757) p. 267. Siegel l. c. I. 408. Bohn l. c. II. 198. Zimmerl I. 129. — Gallica translatio apud Boucher (papiers de credit. II. 323) et Ricard (loix du change. p. 183.).

[50]) Herbach l. c. p. 261. Siegel I. p. 481. Uhl (Siegelii corporis juris cambialis continuatio) II. 62. III. 117. Bohn l. c. II. p. 50. Zimmerl I. p. 26. Celeberrimum de jure Amstelod. opus est: Joh. Phoonsen, Wisselstil tot Amsterdam etc. ed. I. Rotterd. 1677. ed. VII. Amstel. 1737 et in germanicam linguam secundam istam VII. editionem apud Siegelium, corp. jur. camb. II. 228 squ. est translatum.

sprachen (civium sermones) h. s. de rebus ad politiam (Polizei) pertinentia praecepta in lucem venerant. At vero omnibus his in monumentis, sanctionibus et constitutionibus frustra quaesiveris quae ad cambiorum usum spectent.[51])

Intra saeclum XVI. quamquam novam juris recensionem necessariam esse magistratus saepius v. g. in recessibus ann. 1529 (art. 50), 1540 (art. 9), in postulatis anni 1557 confessi erant, ea saecli XVII. demum initio incepta est. Et quidem res specialissima,[52]) quae in juramento civico et senatorio reformando constabat, ad totius juris revisionem causam dedit. Etenim cum ista reformatio, ad quam 100 cives die 2. Sept. mens. ann. 1602 a civium conventu deputati fuerant, die 25. Jan. 1603 absoluta esset, senatus declaravit, se in statuta legesque exstantes, siquidem magnam partem in desuetudinem venerint, nonnisi conditionibus et reservationibus adjectis („in allen üblichen Artikeln") juraturum esse. Juramenti idcirco formula a centumviris ita variata est, ut senatores jurarent: „na dissem revidirten Stadtboch, Recessen und Buersprake, des E. Raths und gemeiner Stadt Unterthanen verordneten Landrechte einem Jeden dat Recht forderlichst mitzutheilen;" atque deinceps collegium seniorum superiorum („Oberalten") cui nova juramenti formula more solito inspicienda et probanda ab senatu tradebatur,

[51]) De antiquo jure Hamburgensi scripserunt Richey (sive Wagner), historia statut. Hamburg (Hamb. 1738); quod opusculum etiam invenitur in (Nettelbladtii) Thesauro juris provincialis et statutarii; tom. I.; Schuback, de origine stat. Hamb. (ibid. 1749) etc.; melius nostro tempore Lappenberg in libro qui denominatur: Hamburgische Rechtsalterthümer. Bd. I. Die ältesten Stadt-, Schiff- und Landrechte Hamburgs (1845); etiam Trummer, die beiden letzten Abhandlungen über das Hamburger Stadtrecht (1859) et O. Stobbe, Geschichte der deutschen Rechtsquellen (1860) I. Abtheilung p. 508 squ. Baumeister, Hamburg. Privatrecht (Hamburg 1856. 2 Bände) I. p. 1 squ. Gengler, Lehrbuch des deutschen Privatrechte p. 557 squ.

[52]) Hamburgensium ab annis 1603 et 1605 statutorum de origine atque historia usque ad nostra tempora nihil fere certi in publicum prolatum fuit. Nam quae Richey (hist. stat. Hamb. c. I. §. 38) et Anderson (Hamburg. Privatrecht 1782 squ. 5 tomi — tom. II. p. 3), item Riccius (Entwurf von Stadtgesetzen oder Statutis. 1740. p. 124 squ.) narrant, pauca sunt et magis divinationis quam probationis speciem prae se ferunt. De quibus anno demum 1842 lux clara prolata est, Hamburgi archivis et scriniis apertis. Isto anno societatis privatae, quae Hamburgi ad patriaae historiam colendam instituta est, ope et commotu nova et multis lucubrationibus commentata editio statutorum ann. 1603 et 1605 ab doctissimis quibusdam viris instituta est eique de origine statutorum ex documentis et litteris archivorum satis multa et certiora praemissa sunt. cf. Der Stadt Hamburg Gerichtsordnung und Statuta. Herausgegeben auf Veranlassung des Vereins für Hamburgische Geschichte (Hamburg 1842).

a senatu postulavit, ut ad promovendas res publicas juris civici revisionem institueret. Senatus licet ab initio (12. Feb. ann. 1603) hance revisionem denegasset et per solas leges additionales, praecipue ad mercaturam, opificia, commercia spectantes civici juris statum qui anno 1497 constitutus esset, meliorandum esse declarasset, jam 12. die Mart. totalem revisionem concedebat. Quam rem centumviri, inter quos nemo jureconsultorum erat quorumque minus ut legum illa revisio quam ut juramentum novum fieret intererat, tam facilem habebant, ut intra 14 dies a senatu recte persolvi posse putarent. Attamen cum senatus ne obiter res absolveretur, sex menses postulasset, centumviri ambagibus quibusdam factis istud quidem tempus comprobabant (die 6. Jan.). Revisionis autem hoc etiam consilium fuit, ut pro lingua saxonica (plattdeutsch), qua vetera civitatis jura scripta essent, lingua Germanica (hochdeutsch) adhiberetur.

Senatus vero, uti jam ex decreto diei 31. Mart, apparet, singula revisionis negotia singulos inter senatores distribuebat. Electi sunt duodecim revisores hi: duo Consules Ditrich vom Holte et Vincentius Moller (Moeller) Lt.; unus syndicus Vincentius Moller Dr.; et novem senatores Reinhold Walrave Lt., Hinrich von Spreckelsen, Hinrich Sylm, Eberhard Esich, Hinrich Wichmann, Hieronymus Voegler Dr., Eberhard Twestreng Lt., Sebastian von Bergen Lt. et Didrich Apsen Lt. Inter quos cambiorum materia Hinricho Wichmanno in specie tradita est, quamquam etiam Hinrich von Spreckelsen et Hinrich Sylm, quibus praeterea jura navium, assecurationum, institorum et foeneris nautici revidenda erant, cambiorum negotium pertractare debebant.[53])

Quae quidem ab his viris perfecta sunt, non tam legum veterum Hamburgensium recensionem, sed jurium Hamburgensium et peregrinorum collationem et compilationem nominare licet. Nam etsi ad Hamburgensis juris fontes legislatores rediissent et jus civicum anni 1497 et ordinationem judicialem anni 1560 et recessus et burspracham, de quibus jam dictum est, multum adhibuissent, tamen ad emendandas

[53]) Praeterea juris territorialis (Landrecht) revisio Hinr. Garmers senatori commissa est. Denique jureconsultus peregrinus quidam nomine Dieterich adductus vulgo esse dicitur, cujus neque in negotiationibus anni 1603, neque in recentioris revisionis, quae annis 1604 et 1605 facta est, documentis et litteris quaevis mentio est facta, ita ut, si re vera ad opus absolvendum curam impenderit, tantummodo adhiberetur tempore quo recensio juris prelo traderetur, fortasse ut linguae Germanicae puritatem curaret.

et supplendas et corrigendas patriae leges ad peregrinos fontes isti viri accedentes quaecunque civium usui et fori praxi consentanea esse videbantur, in novum codicem transtulerunt. Praecipue reformatio quae dicitur Norimbergensis anni 1564 multis in partibus et fere verbo tenus transscripta est. [54]) Alii articuli ex jure Romano deprompti sunt, alii ex constitutionibus Saxoniae electoralis anni 1572, alii ex Carolina desumpti. Quae vero ad jus maritimum pertinent sanctiones, originem ex jure maritimo Hanseatico anni 1591 ducunt. Denique juris cambialis positiones in hac prima juris Hamburgensis revisione ex peregrinis legibus non esse translatas profitendum est; sunt vero tantummodo quinque articuli juri cambiali concessi et quidem breves et singulos magis casus decidentes quam juris principia proponentes.

Prima ista legum Hamburgensium collatio a senatu civium consensu die 10. Oct. mens. ann. 1603 promulgata, prelo vero non excussa, sed tantum scripta est.

Sed jam paucis mensibus praeteritis recens opusculum multis erroribus et lacunis laborare atque usui fori minime convenire multi et sapientiores et ipsi senatores confessi sunt. Itaque cum cives ut statuta prelo excussa publicarentur, a senatu saepius postularent, hisce precibus senatus non prius indulgere voluit, nisi totius legislationis revisio denuo instituta esset. Quod quidem consilium senatus civium conventui jam 3. die Martii 1604 anni disertis verbis declaravit. Complures statutorum articulos totosque titulos obscuros et lacunosos et perversos esse dixit; ante omnia vero cambialis juris titulum esse revidendum; cujus simul plane novam redactionem a quibusdam mercatoribus et senatoribus perfectam senatus jam proposuit. Civium quidem conventus die 11. Maji revisionem eamque seniorum superiorum (Oberalten) consensu perficiendam comprobavit. Jam vero istud seniorum collegium ab initio iteratae legum revisioni invidens die 5. Dec. declaravit: obstare quod juramentum a civibus in statuta anni 1603 jam praestitum sit; statuta quamvis neque mutarentur neque adaugerentur, quae quidem essent, fori usui sufficere; neque emendationibus neque additamentis effici posse, ut perfectum aliquid et absolutum existeret. Nihilominus senatus precibus et

[54]) Id quod Gries (Kommentar zum Hamburger Stadtrecht. Aus handschriftlichem Material herausgegeben von N. A. Westphalen. 2 Bde. 1838), in praefatione p. 23 squ. primum plane et in singulis partibus probavit, postquam ante eum jam Wolpmann et Anderson nonnullorum locorum inter utramque legislationem consensum significaverant.

argumentis die 17. Dec. prolatis effectum est, ut seniores die 4. Jan. anni 1605 revisioni a senatu tunc jam peractae accedentes, pauca tantum et inferiora [55]) denuo corrigenda commendarent et de forma nominatim praefationis quam senatus novo operi proposuisset, cum senatu paullulum disceptarent. [56])

Sed ista etiam rixa mox composita paceque ab omnibus facta, totum opus infra aestatem anni 1605 tandem absolutum est. Accuratius tempus fontibus deficientibus definiri nequit. At vero mirum profecto in modum, sed sine dubio sola negligentia et sine ullo consilio factum est, ut nova praefatio quae corpori legum praefixa est, diem et annum, quo statuta anni 1603 publicata fuerant, retinuerit, ita ut falso 10. dies Octob. anni 1603 subscriptus sit. Quae cum ita sint, hoc subscriptionis vitium causam dedit, ut statuta haec Hamburgensia usque ad nostra tempora vulgo allegentur sub anno 1603, cum annus 1605 rectior sit. [57])

Titulus vero operis novi est: **Der Stadt Hamburg Gerichtsordnung und Statuten.**

Neque statutis hisce Hamburgensibus si ad illius temporis artem et doctrinam recte metiri velis, magnae laudes denegari possunt, neque senatui ipsi novi statutorum corporis de bonitate atque praestantia non persuasum fuit, id quod manifestis verbis seniorum collegio profiteri non neglexit, quae verba ut in margine describantur maxime digna mihi videntur esse, [58]) neque idem senatus artes artificumque

---

[55]) Quae invenies in Editione statutorum Hamb. anni 1842. p. XVII.

[56]) Multum disputatum est, utrum praefatio (uti in statutis anni 1603) verbis: in nomine sanctissimae trinitatis inciperet necne. De nova editione illa verba a senatu ab initio omissa erant. Senatus vero etsi haec formula in aliarum sancti Romani imperii civitatum statutis non inveniretur neque omnino his in rebus in usu esset, seniorum precibus indulsit formulamque istam ex priore in recentiorem praefationem transtulit.

[57]) De his in edit. anni 1842 p. XVIII. plura proferuntur.

[58]) E. E. Raht hat Ihnen höchsten Vleisses angelegen seyn lassen, dass dieses hochnöthiges und zu Vortsetzung der heilsamen Justitien dienliches Werk seiner Wichtigkeit nach reiflich erwogen, revidirt, in der Ordnung unterschiedlich zu wahrer Richtigkeit geendert, in vielen Artikeln gebessert, auch mit itzlichen vermehret, und was in dem jüngstabgewichenem Jahre, bei damals häufig vorgefallenen und gemeinen Stadtangelegenheiten höchstbeschwerlichen Sachen, in der Eil nicht hat geschehen können, numer ist supplirt und ergentzet worden. — — Ob nun woll E. E. Raht nichts lieber sehen und wünschen möchte, denn dass dadurch nicht allein dieser Stadt Bürgeren und Einwohnern bei vorfallenden Streitigkeiten gedienet, sondern auch von Frembden und Auslendischen, denen es zu lesen unzweifelhaft vorkommen wirt, ungetadelt pleiben möchte; so besorget dennoch E. E. Raht, dass Ihnen dasjenige, was Andern zu widerfahren

auxilia, ut formis et coloribus non minus quam delineamentis et argumentis homines allectentur, adhibere sprevit, id quod verbis potissimum demonstratur, quibus senatus novam praefationis recensionem, ad quam permultum se curae atque industriae adhibuisse profitetur, seniorum collegio comprobandam tradidit: quae verba et senatum ipsum Hamburgensem et totam illam aetatem adeo designant, ut lectoribus ea ipsa ante oculos in nota [59]) ponam.

Si vero quaesieris, a quibus hominibus recensionis novae statutorum emendationes atque additamenta senatus jussu perfecta sint, facile non est accuratissime ad respondendum. Sane quidem Vincentius Moller consul, qui jam in prima editione elaboranda diligentiae atque laboris permultum adhibuerat et qui primus postea de statutis commentarios conscripsit, [60]) idem videtur fuisse qui maximam

---

pfleget, auch begegnet, und sie viel reprehensores haben werden. Dieweil aber unmöglich, Allen ein Genüge zu thun, und auf alle Fälle ein speciel Recht zu verordnen, sondern (= besonders) in grossen Sachen auch (scilicet schon) gelobet wirt, wenn man allem woll gewollt hat, und des Comici Regul recht schreibet: Inventis facile est aliquid addere, so wil auch E. E. Raht solche ungleiche Judicia in Gedult verschmertzen, und kann gleichwoll, was jetzo, wegen itzlicher obliegender vielfeltiger Gescheffte, auch bei eingefallenen gefehrlichen Zeitleufften, und weil die Erbgesessene Bürgerschaft dieses Stadtbuch in den Druck zu verfertigen unnachlässig gefodert, nicht allenthalben vollenkomlich verrichtet werden können, künftig und bevorab, wenn der Gebrauch zu andern Fällen mehr Andeutung geben, auch mehr Zeit übrig seyn wirt, solches ins Werk gesetzet werden Inmaaszen denn die Historien bezeugen, dasz die gemeine beschriebene Rechte nicht zu einer Zeit gegeben, auch bekandt, dasz in andern wollbestelten Regimenten und Stäten ihre Statuta und Satzungen zu Zeiten vermehrt und verbessert seyn.

[59]) So viel nun anfengklich die beschehene Erinnerung wegen der Präfation belangen thut, werden die Oberalten, wenn sie die letzte Präfation mit der ersten conferiren, leichtlich sehen und urtheilen können, dasz die letzte mit mehr Fleisz elaborirt, und viel zierlicher denn die erste corrigirt ist. Und weil nach gemeinem Sprichwort omne vestibulum speciosum esse debet, und Jedermenniglich zuforderst nach dem Giebel, ob der zierlich gebawet, zu sehende pfleget, sintemal Jedermann in das Haus nicht hineingehet, sondern ex frontispicio von dem ganzen Gebew, wie. wol ungründlich, judicirt, und dann dies Werk in vieler Leute Hende kommen, auch ungleiche Iudicia ausstehen muss, so hat E. E. Raht die Präfation, welche vor an der Spitze stehet, und (weil) viele nach derselben stylo von dem ganzen Werke judiciren werden, der mehre Theil auch das ganze Buch nicht, sondern nur die Präfation zu verlesen pflegt, etwas zierlicher verfassen lassen müssen. Dasz aber in der letzten Vorrede die inscriptio: Im Nahmen der heiligen Dreyfaltigkeit etc. — Sequentia pertinent ad rixam de trinitatis sanctae praepositione, de qua jam supra nota 56 relatum est.

[60]) Molleri qui commentarii in archivis Hamburgensibus etiam nunc exstant, in singulis tantum fragmentis atque notis prelo excussi sunt. Pars

emendandi et recensendi molem denuo sustinuerit. Namque etsi Mollerus in archivorum manuscriptis recensionis novae autor nusquam expresse nominetur, ex ipsa manusriptorum facie eum autorem fuisse luce clarius apparet. Exemplar scilicet statutorum anni 1603 quo ad emendandum senatus usus est, jam nunc exstat, in quo a Molleri ipsa manu non solum omnes emendationes et additamenta quae in nova recensione anni 1605 inveniuntur, scripta sunt, sed etiam (partim in dissolutis paginis et tabulis quae manuscripto codici insertae sunt) ab eadem manu aliarum notae et lineamenta emendationum deposita sunt, quae postea in novum codicem non transiere, sine dubio quia a senatu vel collegio seniorum non sunt comprobatae.

Attamen quod specialiter ad novae recensionis de cambiis titulum pertinet, de hocce in isto codice manuscripto ab Molleri aut alterius manu nihil scriptum invenitur. Nihilominus si statutorum editiones anni 1603 et anni 1605 comparaveris, permagnas atque complures emendationes factas esse facile intelliges, siquidem de cambiis titulus a quinque ad duodecim articulos adcrevit. Certos omnino qui jus cambiale emendaverint viros nominare nequeas. Enimvero haecce quidem tantum documentis comprobari possunt. Senatus quidem in decreto civium collegio die 3. Mart. anni 1604 tradito nos docet, hanc de cambiis revisionem complurium senatorum et mercatorum atque uti mihi videtur campsorum ope atque auxilio esse perfectum.[61]) Et quamquam verisimile est, inter hosce senatores etiam Mollerum fuisse, tamen verisimilius mihi quidem videtur esse, quod ii senatores, qui in prima statutorum editione anno 1603 jus cambiale ut absolverent jussi fuerant, etiam ad hujus tituli novam revisionem potissimum incubuerunt, praecipue Hinrich Wichmann, deinde etiam Hinrich von Spreckelsen et Hinrich Sylm. De nominibus vero mercatorum quos senatus adduxerit, ne divinare quidem licet, cum fontes nostri de iis nihil amplius commemorent. Pro certo quidem praeterea hoc tantummodo habendum est, ultimo uti putaverim demum juris cambialis revidendi in spatio seniores quosdam superiores (Oberalte) a senatu

---

quaedam publicata est in jam citato Thesauro provinciali (tom. I. p. 849—861), quamquam nomen autoris editoribus non notum fuisse videtur. cf. editionem stat. Hamb ab anno 1842 (pag. XXV.), in qua ipsa partes commentariorum et Molleri et aliorum multae in notas receptae sunt.

[61]) Senatus dixit: „Als hat E. E. Raht durch Personen Ihres (sc. senatus) Mittels und etliche Persohnen von der Börse die Wechselordnung etwas anders und uff Art und Weise, wie hiermit wirt übergeben, verfassen lassen.“ cf. Edit. stat. Hamb. anni 1842 in introductione.

adscitos esse, ut consilium ferrent; namque in negotiationibus quas senatus cum isto collegio de opere revisionis perficiendo inducebat quaeque multa post illud ad civium collegium senatus decretum factae esse videntur, senatus ipse omissis senatoribus et mercatores et seniores superiores (Oberalte) nominat, quos ad jus cambiale emendandum sibi adsciverit.[62]) Sed etiam de illorum seniorum nomine nihil constat neque conjecturam facere licet.

§. 5. De statutorum Hamburgensium jure cambiali quod in libri II. titulo VII. continetur.

Codicis Hamburgensis ab anno 1603 de cambiis constitutiones brevissimae sunt atque quinque articulis absolvuntur sub rubrica: „De Cambiis und Wechseln." Cum vero principale etiam statutorum anni 1605 quoad jus cambiorum fundamentum contineant neque ex peregrinis legibus desumpti, sed mera legislatorum Hamburgensium usus cambialis ex peritia fluxisse videantur,[63]) digni isti quinque articuli habendi sunt, qui in nota[64]) lectoribus proponantur.

---

[62]) cf. Edit. stat. Hamb. anni 1842. pag. 313 in nota, ubi senatus verba ex istis negotiationibus sumpta sunt haecce: „Gleichergestalt ist bekandt, dasz die fürnembsten Kauf- und Handelsleute hochnötig haben erachtet, dasz in dem Titel von Wechsel Aenderung und Verbesserung mögen vorgenommen werden In Maaszen denn auch etzliche von den Oberalten dazu seyn gezogen, die ihr rechtlich Bedenken eröffnet, und numehr solche teglich vorfallende casus volkommlich in einen Titul verfasset seyn, welches darumb desto vleissiger hat befördert werden müssen, weil die gemeine kaiserliche Rechte davon nicht disponiren, und gleichwol an allen Oertern keine durchgehende gleichmeszige consuetudo und Börsengebrauch davon ist." — Ceterum J. K. Gries (et ejus editor N. A. Westphalen) in libro qui inscribitur: Kommentar zum Hamburger Stadtrecht von 1603 (tom. II. Hamb. 1837) titulum de cambiis plane neglexit, quia non jam in usu fuit.

[63]) Nam cum art. 2 et 3 codicis Hamb. anni 1603 cum articulis ordinationis Antverpiensis vix sensu, non verbis congruant, translationem factam fuisse prorsus nego.

[64]) Statutorum ab anno 1603 de cambiis titulus haecce profert, quae primum prelo excussa sunt in Editione statutorum, quae anno 1842 perfecta et promulgata est pag. 312 in nota.

art. 1. Hic est idem art. primus in editione anni 1605. — Vide infra §. 6, quo textus Codicis 1605 traditur.

art. 2. Wenn ein Wechselbrieff von frembden Orten kombt und uff einen zu acceptieren geassigniret ist, und derselbe sich zu acceptiren verweigert, so mag der, so acceptiren soll, von einer Börsenzeit zu andern Bedenkzeit nehmen. Will er alsdann nicht acceptiren, so gebüret dem Einhaber der Wechselbillen zu protestiren, das Protest zurüggesenden, den Wechselbrieff

Senatus vero, uti §. 4 enarratum est, mercatorum potissimum precibus commotus hancce potissimum novi Codicis partem et civium conventui et seniorum superiorum (Oberalte) collegio corrigendam significavit, praesertim

---

aber allhie behalten, bis der betaget. Will er alsdann noch bezalen, so muss der Einhaber empfangen, mit Bezalung der Unkosten des Protestes. Will er aber nicht bezalen, so muss der Einhaber protestieren vom Haubtstul, Schaden und Interesse, das Protest beneben dem Wechselbrieffe zurüggesenden, und Haubtstul, Interesse und Schaden, nach Wechsellauff, wie die zurüggegehet, von dem Principalaufnehmer sich bezalet machen. Hic articulus textum articolorum secundi et tertii in editione anni 1605 in se includit, attamen paullulo variatum, ut vides. cf. infra §. 6.

art. 3. Wenn ein Wechsel betaget oder verfallen und inwendig dreien Tagen nieht bezalet wirt, musz er inwendig dreien benandten Tagen protestieren, damit der Aufnehmer in keinen Schaden geführet werde, und möglich seine Bezalung woll zu bekommen wüszte. Würde aber nach Verlauff der dreier Tagen erst geprotestieret, so hat er damit seine Ansprach und Fürderung an den Principalaufnehmer verloren, und musz sich an den Acceptatoren halten, es were denn, dasz Sonntage oder heilige Tage einfielen, darauf kein Protest mag gemacht werden, die sollen nit gerechnet werden.

Hic est articulus quartus in nova editione ita variatus, ut deliberationis ad protestum faciendum tempus a tribus in duodecim dies commutatum sit. cf. infra §. 6.

art. 4. Wenn einer einen Wechselbrieff zu sich nimbt, und gelobet zu acceptieren, der soll zu bezalen schuldig seyn. — Haec verba plane cum verbis in art. 5. edit. novae congruunt. In vetere textu praeterea inveniuntur verba: — würde er aber verleugnen, er habe nicht gelobet zu acceptieren, so soll er sich dessen mit seinem körperliehen Eide purgiren. Hic passus non invenitur in recensione anni 1605, sed ejusdem in art. 6. ad meliorandum articuli hujus textum nova adjiciuntur. cf. infra §. 6.

art. 5. Wenn einer Gelt auffgenommen, und an bestelltem Platz nicht acceptieret wirt, und davon Protest wieder zurüggekombt, so soll der Aufnehmer in continenti, ohne Verzug, Bürgen zu stellen, oder gute Waaren und Pfande zu überlieffern gehalten seyn, dasz der Creditor von Haubstul, Unkost und Schaden mag versichert seyn. — Usque ad haec verba hic articulus cum 7 art. in recensione de anno 1605 fere verbotenus consentit; idem plane sensus est in utraque redactione. Quae vero deinceps sequuntur in editione nova omissa sunt. — Were aber derjennige, der das Gelt ausgegeben, in Abfürderung der Bürgen oder Pfande säumig, und der Debitor, so es auffgenommen, folgends nicht zu zalen hette, so musz der, so das Gelt ausgezalet, den Schaden tragen.

cum de cambiorum materia in jure communi Caesareo i. e. Romano nihil quidquam traditum sit neque uniformis consuetudo atque observantia de jure cambiali existeret. In reformando igitur Codice quinque de cambiis articuli in duodecim crescebant, siquidem graviores casus, qui de jure cambiali usque ad illud tempus Hamburgi obvenire solebant, legis formula definiti atque decisi sunt. In qua quidem juris cambialis emendatione Hamburgenses non solum patriae ex usu et more, sed etiam ex peregrino fonte hausisse dicendi sunt, cum jus Antverpiense, quod anno 1578 [65]) sub nomine: „Rechten en Costumen van Antwerpen" promulgatum est et de quo jam supra §. 3 pag. 21 a nobis relatum est, sibi in usum adhibuerint. Quibus vero potissimum causis factum sit, ut Hamburgenses praecipue Antverpienses imitati sint, historia commercii jurisque Hamburgensis, quae in §. 2 pag. 8—12. tradita est, satis demonstratum est, ita ut hoc loco repetendum non sit.

Si vero imitationis et translationis juris Antverpiensis formam quaesieris, haec quidem isto sane modo ab Hamburgensibus legislatoribus peracta est, ut partim Antverpiensis constitutionis articulos verbo tenus ex Hollandina in Germanicam linguam translatos Hamburgensi Codici adsciscerent, partim magis libero modo Antverpiensis juris sanctiones imitarentur. [66])

Sane articuli 9, 10, 11 Hamburgenses fere verbo tenus sunt translationes articulorum 5, 6, 7 Hamburgensium. In aliis autem articulis similitudo quaedam sola intercedere, non mera translatio facta esse videtur, cum jus Antverpiense licet in principiis adoptatum sit, in Codice Hamburgensi magis variatum meliusque confectum translatum sit, ut usui Hamburgensi singulari responderet.

Profecto articulus Hamburgensis secundus et Antverpiensis octavus, qui de protestatione in casu, quo assignatus (trassatus) accipere noluit, tractat, inter se similes sunt ne-

---

[65]) Baumeister, inclytus juris Hamburgensis autor, si in opere jam laudato (Hamburger Privatrecht, 1856) annum 1582 scripsit, id quidem pro solo calami lapsu habendum est. Vide supra §. 2. not. 15 §. 3. not. 49.

[66]) Si autores qui novam statutorum Hamburgensium editionem 1842. anno confecerint, solos articulos 2, 9, 10, 11. Hamburgenses ex articulis Antwerpiensibus translatos esse dicunt eamque sententiam Baumeister l. c., Gengler (Deutsches Privatrecht p. 557) et Biener (Wechselrechtliche Abhandlungen 1859 p. 297) prorsus adoptant, isti mihi minus accurate totum ambarum legum tenorem perlegisse et percepisse videntur.

que tamen verbis, sed sensu tantummodo congruunt codexque Hamburgensis etiam nova quaedam praestat, ita ut omnino dubitare liceat, utrum hac in parte transscriptio vel imitatio exstiterit necne.[67])

Praeterea articulus quartus Hamburgensis noni et decimi articulorum Antverpiensium paraphrasin in se continere videtur,[68]) quod utroque in loco de trassantis obligatione disseritur si acceptans solvere noluit, et licet in rebus accessoriis v. g. quoad temporis spatia, juris cautelas etc., inter duas ordinationes huc discrimen non parvum intercedat, idem juris in utraque lege tenor constituitur. Id quod facile concedes, si textum juris Hamburgensis et textum juris Antverpiensis, quem §. 6 lectoribus proponem, diligentius inter se comparaveris.

Ceteri vero duarum de cambiis ordinationum articuli omnino non similes sunt, sed alii alia constituunt. Itaque articuli 1, 3, 5, 6, 7, 8 et 12 Hamburgenses ad exemplar peregrinarum legum non facti, sed ex ipsorum Hamburgensium mercatorum usu et praxi exhausti esse videntur. Neque quidem in his condendis abnormes et irregulares casus legislatorum ante oculos erant, immo maxime usitati et vulgares. Namque primus articulus acceptantis obligationem eandem quae sit trassantis proponit, cui sanctioni in art. 5. adjicitur, quod etiam qui acceptare solis verbis professus est (non scriptis), obligatione cambiali obstrictus est, siquidem istis temporibus (1605) acceptantem ad obligandum scriptura absolute non requirebatur; atque articulus 6. singularem constitutionem praestat, ut qui tres per bursae terminos cambium ad acceptandum retinuit neque postulanti remisit, etsi nihil de acceptando dixerit vel scripserit, cambium se accepisse praesumatur totamque pecuniae cambialis summam solvere debeat. Articulus autem tertius secundi argumentum latius tractans casum proponit quo cambium ab assignato non accipitur et easdem fere quae etiam nunc in usu sunt sollennitates, protestationes etc. constituit; cujus rei continuatio in articulo 7 continetur, quo sancitum est, ut si cambium, quod pro pecunia datum est, non acceptum retro venerit, trassans in continenti et sine ulla mora vadem praestare debeat, ut debitori de sorte, expen-

---

[67]) Errant ergo autores stat. Hamb. Codicis (ann. 1842) et Baumeister l. c. et Gengler (l. c.) et Biener (l. c.), qui articulum istum secundum pro mera juris Hollandici translatione germanica habere videantur.

[68]) Id quod iidem editores et Baumeister et Gengler et Biener prorsus neglexerunt.

sis et de omni damno legitimo tempore sc. die quo cambii solutio praescripta sit, satisfiat. Articulus 8 institorem eo solo casu per cambiorum suam acceptationem dominum obligare declarat, si ad hoc expressis domini litteris auctoratus fuerit.[69]) Denique articulus ultimus sc. 12. singularia quaedam de cambiis nundinalibus quae regularia quoque vocantur, praescribit in casibus quibus cambium acceptum legitimo tempore non solvitur.

Articulorum vero 9, 10, 11, qui ex Antverpiae jure fere verbotenus translati sunt, hoc est argumentum.

Articulus nonus de casu tractans, quo assignatus cambium accipere noluit, honoris caussa acceptationem admittit et ejus qui honoris caussa acceperat jura diverse constituit, si isti remittentis actio („durch Transport") cessa est, aut non; quae cessio jam in forma indossamenti fieri debuit, ut omnis cambialis actionis vis translata sit. Verba igitur „durch Transport" ut indossamenti usum certe quidem constituamus, eo plus valent, quo articuli undecimi sanctiones indossamenta expresse nobis admisisse videantur.[70]) Vide notam 71 et squ.

Articulus decimus vetat, ne quis ante in cambio destinatum tempus solutionem praestet.

Articulus undecimus prima indossamentorum lineamenta designare videtur. Tunc temporis scilicet in usu fuit, ut a remittente ad pecuniae solutionem accipiendam tertius quidam, qui commissus (germanice Kommiss, gallice commis) seu factor nominabatur, adjiceretur. Cujus vero commissi nomen jam isto tempore in dorso cambii („zurück des Wechsels" uti Vogt p. 106 dicit) poni, ergo indossamenti forma absolvi et generali nomine „giriren" seu „transportiren" nominari solebat. Heydigero igitur dicere licuit: „Jedoch führet dergleichen **Indossament** nicht jederzeit eine schlechte procuram oder Ordre nach sich, sondern

---

[69]) De qua re isto tempore multum disputatum fuit, id quod Vogt l. c p. 118 narrat.

[70]) Sciendum est, ista jam aetate et totum per saeclum XVII. verba quoad indossandum technica non exstitisse et etiam verbis: Transportare (transportus) et cedere (cessio) indossamenti formam significatam esse. Vide Heydigerum, qui anno 1672 scripsit et p. 129 et 130 haec omnia verba in usum adhibuit. Expresse sc. Heydiger de „Girir-" oder Transportirung der Wechsel" loquitur (p. 129), idem pag. 130 „girirte und transportirte Wechselbrieffe." Et eadem verba invenies in constitutionibus Francofurt. ann. 1620 et 1635 apud Vogt pag. 128. cf. etiam Renaud, Wechselrecht ed. 2. (1857) §. 47. Bender p. 561.

es geschieht jeweil vermittelst derselben eine Cession, und wird alsdann der adjectus procurator in rem suam; jeweilen geschieht auch dadurch eine Delegation, je nachdem die Umstände des verhandelten Geschäfts dergleichen nach sich führen. Vide Marquard, de jure mercat. lib. II. c. 15. num. 6—8. — Quo indossamentorum isto saeclo usu et doctrina atque terminologia percognitis[71]) facile concedis: in Hamburgensis juris articulo undecimo de indossamentis utriusque generis sermonem esse et tunc in usu fuisse Hamburgi et indossamentum simplex, quod procuratorem in rem alienam, et verum, quod procuratorem in rem suam seu verum creditorem cambialem creaverit.[72])

---

[71]) cf. Vogt (ed. Fritsch 1670) p. 106. Heydiger l. c. Ceterum Vogt l. c. p. 72. (etiam 218) cambia hodie ubique usitata inquit et — — adeo reipublicae necessaria et utilia esse, ut si cambia cessarent, omnia paene mercaturae officia dissiparentur ac destruerentur.

[72]) De qua re multum disceptatum est. A mea sententia stat jam Grollmann, „de cessione litterarumcambialium: vom **Transport** der Wechselbriefe“ (Giess. 1711). c. II. §. 1, qui ad probandum statut. Hamb. etiam partis I. tit. 12 §. 4 adhiberi debere sine justa caussa opinatus est. Nostra vero aetate Goetzius, jureconsultus Lipsiensis (Ersch und Gruber, Encyclopädie sub voce „Giro“) ista sententia rejecta Hamburgensia statuta de indossamentis quidquam constituisse negavit. Longum est hoc loco accuratius de hac re disputare. Sane vero hoc est primum indossamentorum quod invenitur exemplum, quod quidem etiam in textu Hollandico Antverpiensis constitutionis facile invenies. — Per Galliam indossamenta saecli XVII. initio etiam in usu fuerunt et ea quidem a Richelieu Cardinali introducta esse eontendit Boucher (Papiers de crédit etc. Paris. 1808. 2 tom) I. p. 169. chap. 29. cum illum Cardinalem, qui abhinc anno 1624 inter regis ministros summos fuit, cambiorum et indossamentorum usum magis in negotiis publicis adhibuisse rectius dixeris Fremery (études p. 127), Trenchant in: discours de change 1557 et Maréchal in: traîté des changes 1625 ann. nihil de indossamentis protulisse narrat, cum Cleirac circa ann. 1650 eorum usum jam vulgarem esse dixerit. — Per Italiam, licet jam in lege Neapolitana anni 1607 de indossamento sit sermo, in qua quidem vulgo sed ut puto non recte primum indossamentorum usus documentum recognoscitur, et quam apud Martens (l. c. in append. p. 77) invenies, multo serius quam per Galliam et Germaniam indossamentorum usus communis factus est, cum multi magistratus insignium Italiae rerumpublicarum indossamentorum usum interdictis saepius vetarent. cf. Biener (Wechselrechtl. Abh. 1859) §§. 13. 14. p. 121 squ. Götz l. c. Ceterum Biener in terris Germanicis prima indossamentorum vestigia certa non ante Amstelodami constitutionem anni 1651 d. 24. Jan. mensis art. 4. probari contendit,

Id quod eo minus dubitari potest, quo jam decimo quinto anno post publicationem juris Hamburgici per Germaniam indossamentorum verorum usum adeo divulgatum fuit, ut magistratibus periculosus esse videretur, scilicet qui putarent, multiplicatis indossamentis recursum cambialem in reum magno in periculo esse.[73]) Francofurti sane anno 1620 indossamentum (sc. verum) vetitum idemque interdictum anno 1635 repetitum et etiam Boceni promulgatum est. Norimbergensis vero senatus unum tantummodo indossamentum ut fieret permisit anno 1654, et Francofurti precibus mercatorum intimis jam 1666 senatus commotus est, ut plenam indossandi libertatem largiretur.[74])

Hasce de cambiis Hamburgi leges laudibus extollere nolim. Quam antiquam sanctionem si cum ordinatione cambiali Germanica anni 1848 comparaveris, sane quidem illa pro rudi quadam mole, haec pro eximio legislatoriae artis specimine habenda est. At vero licet illae leges antiquae et brevissimae neque arte conscriptae sint, illorum temporum usui de cambiis simplicissimo prorsus suffecisse videntur,[75]) ita ut totum per saeclum in vigore permanerent. Et quamquam septimum statutorum anni 1605 titulum anno 1711 nova de cambiis constitutio sustulit, quae quidem pau-

---

cum Arenz (Ursprung und Entwickelung des Wechsels. Leipzig 1855) p. 44 squ. documentis quae in Lorenzii Mederi libro de commercio (anni 1558) inveniuntur, indossamentorum per Germaniam et Italiam usum jam saecli XVI. initio subvenisse ut puto non juste probrare studet.

[73]) Caussas quibus magistratus ad vetandum commoti sint, bene jam proposuit Heydiger l. c. p. 130. Aliae autem caussae etiam ex odio ducendae sunt quo tunc etiam temporis multi cambiorum omnino institutum persecuti sunt. Notissima sunt hoc de odio verba Vogtii (l. c. 210): Cambiorum contractus multis insignis doctrinae viris doctoribus atque theologis (quos Vogtius singulos nominat) videtur maxime damnabilis, ex eo quod primo turpem et illicitum habeat finem, inserviens insatiabili cupiditati et avaritiae, quae tamen omnium malorum et radix et regina est, et magistra nocendi, primipilaria iniquitatis, auriga malitiae, siccaria virtutum, seditionis origo atque fovea scandalorum dicitur.

[74]) Quas constitutiones bene illustravit Heydiger l. c. Sane mirari licet, quod Bode in libello de cambiis (1646) nihil neque in thesi IV. n. B. ut Kuntze (Schletteri Jahrbücher tom. VI p 143) putat, de indossamentis dixit.

[75]) Quo quidem de hoc vetere jure Hamburgensium cambiali in judicio consentio cum Dedekind, Vergangenheit und Gegenwart des Wechselrechts pag. 14 squ. et Buesch, Handlungsgeschichte Hamburgs §. 13 pag. 27.

cis recentioribus legibus adjectis, consuetudinibus sane multis variata usque ad annum 1849 in vigore fuit et post multos qui frustra facti sunt juris cambialis Hamburgensis conatus et privatos et publicos[76]) ordinatione demum Germanica de cambiis prorsus in oblivionem venit, totus tamen iste titulus septimus intra Hamburgensis territorii partem quandam, sc. intra fines praefecturae, quae Ritzebüttel cum Cuxhaven denominatur, usque ad annum 1849 in usu fori permansit, licet jureconsulti Hamburgenses putarent, in dubio etiam in ista praefectura ad veteris juris anni 1605 interpretationem magis ad ordinationis anni 1711 sanctiones quam ad generalia juris cambialis Germanici et Europaei principia recurrendum esse.[77])

Ceterum duodecim de cambiis articuli Hamburgenses anni 1605 paucis variatis translati sunt in statuta civitatis Slesvicae Friedrichsstadt ab anno 1633 (Part. II. Sect. 11. tit. 16: „de collybo, von Wechseln und Wechselbriefen.")

---

[76]) De compluribus Hamburgensium ad jus cambiale civitatis emendandum conatibus hisce qui quidem abhinc anno 1792 instituti erant, perbene referunt Meno Pöhls (Wechselrecht p. 22), Soetbeer (Ueber Hamburgs Handel. Erste Fortsetsung. Hamburg 1842. p. 90.) et Dedekind (Vergangenheit und Gegenwart des Wechselrechts. p. 106). -- Leges quibus ordinatio cambialis Hamburgensis anni 1711 d. 22. Jan. variata est, paucae et minoris momenti fuerunt, quae sunt constitutio ann. 1729 6. Oct. (in tribus articulis de cautione cambiali), 1732. 4. Sept. (qua quaedam de processu cambiali in salutem minorum et simplicium personarum disponuntur), 1798 14 Junii (de quibusdam solutionis cambialis diebus), 1799. 17. et 25. Octob. (qua legi restrictiones quaedam juris cambialis pro tempore jussae sunt). cf. H. Kühl (Hamburg. Rath- u. Bürgerschlüsse vom Jahre 1700—1800. Hamburg. 1803). Inter consuetudines praecipue sunt nominandae eae quae „Parere" dicuntur, ante omnia ea quae a 19 mercatoribus insignibus Hamburgi de discretionis diebus die 28. Maji 1732 et ea quae item ab mercatoribus istius urbis die 25. April. 1805 de cambiis a peregrinis terris cum protestationibus Hamburgum remissis prolata est. cf. Siegel (corpus jur. camb.) I. 415 ejusque continuator Uhl (II. cont. 48. 51); Meissner (Codex des Europ. Wechselrechts. 2 Bände. 1837) I. p. 910—22 et L'Estocq (Erläuterung des allgemeinen und preuss. Wechselrechts 1762) p. 166.

[77]) Intra tempora, quibus Hamburgum ipsum ejusque omnia territoria Gallorum imperio a Napoleone I. imperatore conjuncta fuerant, a diebus Decembris mensis anni 1810 usque ad Maj. Mensem ann. 1814, neque Hamburgensia neque Germanica jura Hamburgi vigebant et in specie quoad jus cambiale Gallici codicis commercialis (Code de commerce) de cambiis sanctiones civibus Hamburgensibus praescriptae atque obtrusae erant.

§. 6. De cambiis tituli textus statutorum Hamburgensium anni 1605.[78])

Ut vero lectores hujus primae cambialis per Germaniam legislationis speciem et formam ejusque cum Antverpiensi jure congruentiam melius intelligant, hoc loco singuli qui sunt duodecim articuli transscribendi sunt, additis Antverpiensis constitutionis anni 1578 partibus, quae huc pertinere videntur.

Textum vero statutorum sequemur originalem, qui in editione principe senatus jussu per Georg. Lud. Frobenium, doctissimum bibliopolam typis Pauli Langii typographi Hamburgensis anno 1605, et in editione tertia senatu non abnuente sumptibus Henrici Volckers (quem vulgo Voelckerum vocant), bibliopolae quondam honoratioris et centuriae civicae praefecti, inter annos 1681—83[79]) proditus est. Secunda editio, quae sine dubio anno 1663 apparuit, cui vero falso annus 1605 praefixus est, cum spuria et mendosa compluribus locis, itaque ipsius senatus Hamburgensis per decretum d. 21. mens. Aug. anni 1663 damnata sit, ansam omnino praebere non debuit. Neque quartam editionem, quae sumptibus C. Koenigii heredum anno 1771. apparuit neque textum originalem et merum, sed modernis et voluntariis variationibus, quae quoad scribendi et loquendi genus sine

---

[78]) Statutorum anni 1603 de cambiis articuli jam in nota 64 pag. 29, lectoribus ad comparandum propositi sunt.

[79]) Haec editio neque in titulo neque in praefatione annum originis fert inscriptum. Ergo usque ad hunc diem incertum est, quo quidem anno in lucem venerit. Sed cum ea praeter Caroli Magni etiam Leopoldi I. imperatoris imaginem neque non insignia quatuor consulum, qui intra annos 1681—83 regnabant, adjectis supra insignibus urbis Hamburgensibus (tribus turribus) prudentiae et concordiae figuris inclusis et infima in parte imagine urbis istius religionis et justitiae figuris inclusa in tituli pagina praebeat, sine dubio intra annorum quos diximus spatium hujus editionis origo ponenda est. Ceterum ego ipse quidem statutorum Hamburgensium exemplar inter meos libros numero, quod omnibus partibus et numeris, omnibus litteris atque etiam mendis cum editione, quam Henricus Volckers curavit, consentit, excepto plane titulo, qui est hicce. Neque annus neque locus positus est. Verba tituli circumcincta sunt figuris arabescis et florulentis et fructuferis, quorum in cacumine simplicia urbis insignia (tres turres s. castellum) inspiciuntur. Verba vero tituli sunt haecce: „Der Stadt Hamburg Gerichtsordnung und Statuten", cum in editione quam Volkers curavit ista verba alio prorsus ordine posita sunt: Der Stadt Hamburg Statuta und Gerichtsordnung.

certo consilio et fine, sed ad incertum illius temporis sensum atque gustum insipidum et non raro absurdum confectae sunt, lectoribus praebuit, in usum adhibere potui.[80]) Neque minus quintam eamque novissimam anni 1842 editionem, qua quoad scribendi dicendique formam Koenigianam istam, cum quidem in usum fori vulgique transierit, editores insulsam imitati sunt, sequi nobis non licuit, qui nostram cambialis tituli editionem non ad usum vulgi forique instituamus, sed in ea historiae documentum litteris mandare velimus, ut nostrates ex originalibus ipsis verbis intimam et veram primae de cambiis in Germania legislationis faciem et animum percipiant.[81])

Textum vero Hollandicum ordinationis Antverpiensis, qualis mea quidem linguae Hollandicae peritia valet, a multis mendis purgatum de Sigelii corpore juris cambialis (tom. I. pag. 406 squ.) depromsi.

---

[80]) Si Christ. Gottlieb. Riccius (Entwurf von Stadtgesetzen und Statutis. Frankfurt und Leipzig 1740) p. 137 de alia quarta editione (in Folio) refert, quam isto tempore (1740) nuperrime („neuerlicher Zeit") apparuisse dicit, hoc fortasse Riccii pro errore habendum est, quoniam a nemine ejusdem generis et temporis editio commemoratur, neque de Richey qui l. c. cap. III. specialiter de editionibus statutorum disputat singularumque singulas mendas omnes enumerat, neque ab editoribus editionis 1842, qui quidem pag. XX seq. de statutorum variis editionibus breviter retulerunt.

[81]) Iste de cambiis titulus statutorum Hamburgensium etiam in aliis libris prelo excussus est. Invenitur apud Vogtium (edit. Fritsch.) p. 231 squ. mantissa III., sed ista editio valde mendosa atque spuria et notis mariginalibus interjectis perversa, fortasse ad exemplar editionis damnatae ab anno 1663 facta est. Aliam redactionem constituit Buesch in libro, quem jam saepius citavi (Theoretisch-praktische Darstellung der Handlung 3. ed. ab Normanno perfecta in appendice ad tom. primum), quae quidem ad Koenigianam editionem facta et voluntariis multis variationibus laborans nominanda est. Alias neque criticas editiones fecere Koenigke (Leipziger Wechselordnung. Lips 1712 p. 376—80) et Joh. Mich. Nob. de Zimmerl (Sammlung der Wechselgesetze p. 101 squ.). Frustra vero in Siegelii corpore juris cambialis has de cambiis constitutiones Hamburgenses anni 1605 quaesieris, qui quidem sane Hamburgensem de cambiis ordinationem anni 1711, qua statutorum anni 1605 de cambiis jura obsoleta facta sunt, offert.

Von Wechsel und Wechsel-Brieffen:

Articulus I.

Wer einen Wechsel-Brieff acceptiret, der wird Debitor oder Selbschüldiger, so wol als der das Geld selber auffgenommen und empfangen hat.

2.

Wann ein Wechsel-Brieff von frembden Oerten kömpt, und auff einen zu acceptiren assignirt ist, und derselbe zu acceptiren sich verweigert, So mag der Einhaber des Wechsel-Brieffes alsbald protestiren; wil er aber demselben, so acceptiren sol zu Gefallen drey Tage warten, sol ihm solches, wofern kein Bote in mittelst nach dem Orte, da das Geld außgezählet ist, gehen würde, ohn præjudicirlich und ohn schädlich seyn.[82])

3.

Wil in den dreyen Tagen der, an welchem der Wechsel-Brieff consignirt, nicht acceptiren, so gebühret dem Einhaber des Wechsel-Brieffes zu protestiren; das protest zu rücke zu senden, den Wechsel-Brieff aber bey sich zubehalten biß der betaget; wil alsdann derselb, an welchem der Wechsel-Brieff geschrieben, noch bezahlen, so muß der Einhaber empfangen, jedoch daß die wegen des Protests auffgewandte Unkosten zugleich mit erlegt werden. Wil er aber nicht bezahlen, so muß der Einhaber protestiren vom Hauptstul, Schaden und Interesse, das Protest neben dem Wechsel-Brieffe zu rücke senden, und die Bezahlung des Hauptstuls, Interesse und Schadens nach Wechsels-lauff, wie die zurücke gehet, von dem principal Auffnehmer wieder forderen.

4.

Wann ein Wechsel-Brieff betaget und verfallen, sol der Einhaber desselben an möglichem Fleisse das Geld zu forderen nichts lassen erwinden. Da aber der acceptator in der Bezahlung säumig befunden würde, sol der Einhaber des Wechsel-

---

[82]) Ad istum articulum secundum Hamburgensem pertinere videtur: Ordinationis Antverp. articulus VIII. Item, soo wanner dat de gene aen wien een Wissel-Brief geadresseert word, weygert denselven t' accepteeren, is den Crediteur gehouden terstont ofte den derden dage daer na, de protesteeren.

brieffes innerhalb zwölff Tagen zu protestiren schüldig seyn, und sol ihm dieselbe Zeit, wo fern er fleissig gefordert, und inmittelst keine novation, pacta und andere Gedinge mit dem acceptatorn gemacht hat, unnachtheilig seyn. Würde er aber nach Verlauff der zwölff Tagen erst protestiren; So hat er damit seine Anspruch an dem Principal Auffnehmer verloren, und muß sich an den acceptorn halten, es were dann das Sonntage oder heilige Tage einfielen, darauff kein protest mag gemacht werden.[83])

5.

Wenn einer einen Wechselbrieff zu sich nimmt, und gelobet zu acceptiren, der sol zubezahlen schüldig seyn.

6.

Wird jemande ein Wechselbrieff zu acceptiren gegeben, und derselbige solchen drey Börsezeit bey sich behält, und der vorige Einhaber des Wechselbrieffes ihn wieder abfordert, aber nicht wieder bekommen kan, so sol derselbe vor vollnkömmlich acceptiret gehalten, und wann derselbe verfallen, von dem, der den Wechselbrieff über vorbenandte Zeit bey sich behalten, und auff beschehene Abforderung nicht von sich gegeben, bezahlet werden.

7.

Wenn einer Geld auffgenommen, und an bestimbtem Orte, der darauff gegebener Wechsel-Brieff nicht acceptirt wird, und davon protest wieder zu rücke kömpt: So ist der Auffnehmer in continenti ohne Verzug Bürgen zu stellen, oder gute Wahren und Pfande zu überlieffern verpflichtet, damit der Creditor wegen Haupstuels, Unkosten und Schadens müge gesichert sein.

---

[83]) Cum isto quarto articulo Hamburgensi quodammodo congruere videntur articuli 9 et 10 Antverpienses. — Ordinat. Antverp. art. IX. Ende als een Wissel-Brief geaccepteert is, ende t' syner verschyndage (= vervaldage) niet betaelt en woordt, soo de geene wien toestaet de betalinge t' ontfangen, gehouden te protesteeren binnen den tyd van 8 ofte 14 dagen ofte seckere korten tyd daer na, na exigentie en gelegentheyd van der saken; of andersints soo verliest hy syn verhaal tegen den sender van de Wissel-Brief; ten ware dat den debiteur platte weygering van betalinge dede, hem in fraude van syn crediteuren absenteerde, latiteerde, ofte by openbare geruchte ter Beurse voor insolvent befaamt ware, in welken gevalle is de crediteur gehouden terstond te protesteeren, ofte binnen derden dage daar na.

Ejusdem art. X. Des en mach de crediteur geduurende den voorsz tyds geenderley accort van verdrag met den debiteur maaken; maar moet den selven tot betalinge vermaanen.

8.

Wann ein Diener, ohne schrifftliche Vollmacht und Instruction einen Wechselbrieff, der an seinen Herrn consignirt, acceptirt; So ist der Herr denselben, wann er verfallen, zu bezahlen nicht verbunden, hat aber der Diener schrifftliche Vollmacht von seinem Herrn: So muß der Herr auff verfallene Zeit billig bezahlen.

9.

Wann einem ein Wechselbrieff præsentiret, und von demselben nicht acceptiret ist, mag der dritte, zun Ehren dessen der den Wechselbrieff außgegeben, acceptiren; und wann derselbige die Bezahlung gethan, und durch transport den Wechsel-Brieff empfangen, hat er die Action gegen den Debitorn, von demselben die Bezahlung wieder zu suchen, oder er lasse protestiren, acceptire den Wechsel-Brieff, und bezahle, und nehme zu sich den Wechsel-Brieff mit dem Protest, damit er das Seine könne wiederforderen, und dieselbe dritte Persone ist in Krafft der Acceptation schüldig, den Wechsel-Brieff zubezahlen.[84])

10.

Es sol niemand einigen Wechsel-brieff bezahlen, ehe und zuvor daß derselbige betagt und verfallen, dann da es sich begebe, daß derselbe, an den die Bezahlung vor der Zeit geschehen, inmittelst fallirte; auff solchen Fall ist sodane Bezahlung zu Nachtheil und Gefahr desselben, der den Wechsel-Brieff vor der Zeit bezahlet hat.[85])

11.

Es mag auch der jenige, der die Summa oder Pfenninge, in dem Wechsel-brieffe gemeldet, außgezählet, als Herr

---

[84]) Articulus iste Hamburgensis nonus fere translatio est Antverp. art. 5. — Ordinationis Antv. art. V. Item, Als een Wissel-Brief niet geacceptert en word, mag eenen derden ter eeren van de Brief den selven accepteren unde daar of betalinge doen, en ontfangen transport van d' actie tegens den debiteur, om hem van den selven daar of te doen rembourseren, ofte ook latende het protest doen, den Wissel-Brief accepteeren ende de betalinge doen, mits t' hem waarts nemende den Wissel-Brief met den proteste, om daer mede syn verhaal de hebben; ende de voorsz. (= voorschreeven) derde persoon uyt krachte van sulcke acceptatie gehouden, de somme in de Wissel-Brief begreevm te betalen.

[85]) Articulus iste Hamburgensis 10 est fere translatio articuli Antverpiensis 6. — Ordinationis Antv. art. VI. Men en mag ook, na de costume onder de Kooplieden geeuseert, geenen Wissel-Brief betaalen, eer dat den tydt van de betalinge van den Wissel-Brief vervallen is; ofte andersins,

des Wechsels, die Commission darinne begriffen, re integra[86]) widerruffen, oder widerruffen lassen, durch denselben der den Wechselbrieff geschrieben, ehe und zuvor der Acceptant denselben bezahlet, Es wäre dann, daß der jenige, an den der Wechsel-brieff zubezahlen gelanget, kein schlechter Mandatarius oder Befehlighaber des Senders des Wechselbrieffes, besondern daß dieselbe Pfenninge ihm gehörig, und bey dem Wechsel-Brieffe aviso und Befehl bekommen, in rem suam und zu seinem selbst eigenen Nutze, die darinne begriffene Summa zu empfangen.[87])

12.

Wann Wechsele auff Franckfurt, Leipzig, Naumburg, und dergleichen Messen und Jahrmarckte übergeschrieben, daselbsten acceptirt und nicht bezahlet werden, sollen dem Einhaber des Wechsel-brieffes ohne præjudicio und Nachtheil drey Tage, nach dem das Geleide, weggezogen, an den Oerten da das Geleide gebräuchlich, und an andern Oerten drey Tage nach der Zahl-Woche das Protest zuthun gegönnet werden. Würde er aber gar nicht, oder nach verlauff dreyen Tagen, protestiren, hat er seine action gegen den Principal Auffnehmer damit verlohren, und muß sich an den Acceptatorn halten.

---

soude deselve betaalinge wesen tot perykel van den geenen, die betaalinge gedaan heeft, in gevalle den persoon, aan wien hy de betaalinge voor den tyde gedaan heeft, komt te failleeren.

[86]) Verba re integra in editionibus quibusdam posita sunt in subsequente linea ante verbum „geschrieben", id quod falsum esse jam dixit Richey, hist. stat. Hamb. p. 68.

[87]) Art. hic Hamb. 11 est fere translatio art. 7 Antverpiensis — Ordinationis Antverp. art. VII. Item, vermach de geene die de waarde van de somme in de Wissel-Brief begreepen, getaelt heeft (als Meester van de Wissel zynde), de commissie daar in begreepen wederroepen by den geenen die de Wissel-Brief geschreven heeft re integra, al eer die by den acceptant betaalt is; ten ware dat de geene, aen wie den Wissel-Brief komt te betalen, geen naakt mandatar is ofte bevel-hebber en waare van den sender van de Wissel-Brief, maar dat de selve penningen hem toequaamen ende by den Wissel-Brief bevel hadde in rem suam, om somme daer in begreepen t' ontfangen.

Ex. J. Dr.

Corrigenda.

Pag. 6 not. 7. linea 9 lege libellus.

Pag. 7 not. 9. linea 1 lege constituta.

Pag. 10 not. 16. linea 1 post verbum commerciale pone pro puncto comma.

Pag. 13 not. 21. linea ultima lege quam pro ubam.